
WELLCOME
HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

Don de l'Etat



MEDICVS VERI AMATOR


AD

APOLLINEAE ARTIS ALVMNOS.

Nec ſibi, ſed toto genitum ſe credere Mundo.

LVCAN. Lib. II. vers. 383.





Typis Vniuerſitatis Caeſareae Moſcuenſis
Anno 1764.


WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

À
SA
MAJESTÉ IMPÉRIALE
CATHERINE II.
IMPERATRICE
DE TOUTES LES RUSSIES &c. &c. &c.



L'humanité de *Vôtre Majesté Impériale*, la Protection éclairée que *Vous* accordés aux Sciences & aux Arts utiles me font prendre

la liberté de *Vous* preſenter cet ouvrage. Il traite des Venins, des Epidémies, des Contagions, qui ſont le fléau des humains & l'éceuil de la Médecine. J'ay fait tous mes efforts pourque la Baze fondamentale en porta ſur des faits reconnus & avoués par la raiſon & l'expérience. Tous mes vœux ſeront remplis

ſi

ſi en cherchant des ſecours pour la vie des Hommes, jusques dans les bras de la mort même, j'ay le bonheur de les trouver, & de plaire par là à *Vôtre Majeſté Impériale.*

MÉRE & SOUVERAINE à la fois, *Vous* êtes tendrement Dévouée aux beſoins de la Patrie

& du Citoyen: le mal'heureux déjà n'a plus à souffrir que ses délais volontaires à *Vous* instruire de ses disgraces; *Vôtre Clemence* promte à sécourir est toujours prête a y pourvoir; *Vous* ne sentirés jamais les Regrets que Titus auroit pû s'épargner, *Vous* ajouttés au Tems ce que *Vous* dérobés au Repos.

Qua-

Quarante ſept Peuples au Mont Albain chantoient la gloire du *Latium* : un nombre auſſi grand de Sujets heureux dira en célébrant la *Vôtre*, quels Faſtes pour l'hiſtoire? quel Modéle pour le FILS que les vertus & la conduitte de la Mére?

Je ſuis avec un profond Reſpect.
Si *Vôtre Majeſté Impériale* veut
bien me le permettre.

DE

VÔTRE MAJESTÉ

Le très humble, très reſpectueux
& très obeïſſant ſerviteur

à Moſkou ce 20.
Mai 1764.

CLERC.
*Médecin Inſpecteur de
l'hopital de Paul.*

ELEN-

* * *
* * * * * *

ELENCHVS CAPITVM.

SECTIO

Sectio



OPERIS





OPERIS DIRECTIO.





Si Experientia rerum omnium Magiſtra, hic ius et arbitrium habet, affectus animi, et fortaſſe, hominum mores, vt ſuos ſibi vindicant Temperamenta: horum nomen implorant illi et clientes ſe profitentur. Germinant enim, creſcunt et explicantur cum organis, resque veritati et rationi ſatis apta videtur.

Temperamenta autem et morbi, quibus tentantur homines, ſoli et climatis naturae generatim reſpondent; viciſſimque ſolum et clima ſemper ſunt in ratione compoſita amoenitatis, aut inclementiae coeli cuiuscunque regionis.

Plauſibilem, credo, conſtantis huius filiationis confirmationem; ſed eam curioſis profferrendam trado: maiora namque tentat

A con-

consilium, scopus vnice ad vtilitatem spectans. Contracta nimis otia hominum saluti conducere experior. Etsi votorum compos ego, omnibus post-habitis, habebo cordis summam.

Hic igitur affectus animi, hominum mores et temperamenta, solum, clima tangam praeteriens: fusius loquar de elementis et peculiaribus coeli constitutionibus, quatenus nempe conspirant vna, congruunt, morbis popularibus, Epidemicis, venenisque medico-graphice describendis.

Hoc quidem argumentum momento grauissimum difficultate, ingenii mei mediocritatem vincit: exigeret artis Phoebos, et fateor lubens. Sed si Studium ardens et conatus non referuntur in veras dotes, habent saltem aliquid honesti et laudabilis; accipi merentur de summa detrahendo. Et quidni? pluries exemplum fecit aemulos: si pusillum hoc nostrum felici fortuna vtens, imitatores faceret et inflammaret collegas, hoc sane pro meritis haberem, et in eo me amarem valde.

Omnis Medicus fidei constans gemino insignitur, et potitur honore, semel atque iterum ciuis est: haud igitur immerito duplex illi pensum incumbit. Rem interpretor.

Amare

Amare et ſanare debet Medicus; vtrumque praeceptum humanum eſt et cedro dignum. Sed proh dolor! Aliud alio difficilius! Amor et beneuolentia e ſenſu dimanant; curatio, gradus reuocatio minime; confragoſum enim eſt medicinae iter: portibus ſe grauatim inſinuant aegri; ibidem etiam fere ſemper opus et labor eſt. Hinc artis praecepta et auxilia in memoriam reuocant acerbas Draconis leges ſanguine conſignatas. Inſuper, millena mihi nota ſunt palliatiua remedia, ſpecificum autem infallibile vix vllum.

Ne tamen abſciſſam credamus ſpem, non dum efflauit illa, forſan anxiis mentibus reducet; ingenii limites non ſemper ſunt artis termini. Pro virili parte perquiramus ergo, iubet humanitas, vrget paſſim officii noſtri munus: mirum eſt ſaepe, quam efficiat id, quod incubuit eius amor; huic totus ſe debet hominum cultor et conſeruator. Reſtat, vt conſecremus nos.

Ne autem a religione duplicis officii declinemus, vtque bene et proſpere nobis tentamen ſuccedat, premenda ſunt legislatorum noſtrorum veſtigia. *Hypocrates*, *Sydenhamus*, *Boërhaauius*, *Mead*, *Pringles*, *Geoffcoi*, *Baron*, aliique recentiores, magni in arte viri, conſiderari merentur, quaſi totidem

benefactores hominum, qui naturae leges sapienter interpretando, sanarunt. Ambulemus ergo cum illis, faces eorum iter aperiunt errantibus: quantumuis enim progressa iam videatur ars prope Diuina, immensum est adhuc spatium superstes; adhuc medica scientia multas habet prouincias, cultu vacantes: incultos excolamus agros, dilatemus Imperii medici fines. Immensitas eius desertis et scopulis aestimari nequit. Procreemus, si fieri potest, athletas, qui collato pede, tuta manu, belligerent cum morbis mali moris, variisque contagii et veneni speciebus. Ne autem euagationis, imo et erroris periculum incurrant, semper ad veritatem propius admouendi sunt illi. Hac cautione posthabita, nubem certe pro Iunone amplecterentur. Vbi verisimilitudo alliciens et mendax vmbra a recto itinere nos deflectere tentabit, prudenter sistendi sunt gradus nostri. Ex falsis principiis medicis, falsae eruuntur conclusiones, humano generi infensissimae; non citra piaculum licet hominum salutem in discrimen offerre, negotiari!

Vbi scabrosum erit iter, vel litoralem tenebimus oram, vel de propriis tenebris confitebimur, vt, concesso clarigationis iure, moras, impedimenta, ipsamque artis insuf-

ſufficientiam viciſſim repetere et obiurgare poſſimus. Sic vbi deuius abibit, mentem ad veritatem componens, ille ſaltem non errabit longius a regula et praeſcriptione rationis. Ibidem etiam ex infauſto exitu, ſat abunde patebit fugiendus cingendus-ve ſcopulus. Ad hunc nauem non franget monitus, qui felicior opus abſoluet.

Coniecturas igitur omnes ab hoc opere repellam; illis ſuccedent Magiſtrorum meorum obſeruata, et quae Trochilus ego cominus aſpexi. Viſus debilis et terminatus, propria ſua debilitate attentior, oculos in pedibus habet, et prudenter circumſpiciendo vt plerumque detegit ea, quae transilit acies aquilae. An non veritas ita eſt, vt felicitas? Non ne vtriusque viduitas nos tenet, quia ſuſpicimus, non aſpicimus ante? reſecetur ergo optice noſtra, geometrica ſit; veritas et felicitas ſe facient perſpicuas, in praeſto nobis erunt.

Ex ſimpliciori vnitate ſemper initium ducit infinita numerorum ſeries; idem de veritate dicendum. Hoc pro rato habens, venenorum et epidemiarum curſor ego immenſum hoc ſtadium aggrediar, elementa rerum ſingulatim, vicibus, collectiue tandem perpendendo et analytica quaſi face collu-

ſtrando, donec mihi quidem meta acta ſit ferme. Ante proelium et expugnationem, dux in agendo prudens locum, ſitum explorat, arcemque ſpeculatur: ſecum reputat ſemper bellicas vires, hoſtis magnanimitatem; ſcit, quod ſuperare debet. Ducis penſum noſtrum eſt, homines conſiliis noſtris reguntur. Prius igitur nobis recenſendum eſt Elementorum agmen, ineundus armatorum numerus, armaque praeſcienda et conſignanda vt eneruentur, vel ſaltem declinentur caute.

Vbi primum illucebit nobis vultus Elementorum, non erimus procul ab eorum natura. Naturam ſemel habentes, vim, potentiam et actionem aeſtimare quid vetat? Sic omnibus praeponderatis, videbimus, quomodo Elementorum quadrigae frequentant et afficiunt tria naturae Regna, disquiſitionibus noſtris ſubiecta. Poſt-hac, iudicibus caſtigandas trademus poteſtates vitae et necis, quae ius et arbitrium ſuum exercent et adhibent, Tyrannorum more, vt torqueant corpus et hominem deſtruant.

Prima haec cognitio nos quaſi manu ducet ad analyſim principii ſulphuroſi et acidi primigenii vniuerſalis: hoc vitriolicum, phlogiſticum aliud, ſeu materiem ignis, nominatim apellarunt Chemici, ambo in hoc

opere

opere principes eminebunt et conſiderari merentur tanquam Elementorum miniſtri. Sed ſi vincunt interdum naturae lites, moleſtis et operoſis negotiis illam implicant alias: exinde prouocationes noſtrae.

Haec quoque in partem habentes, plena et immenſa Coeli et Terrae intermedia forſan familiariora nobis erunt. Si Coelo deuolant, nos quoque proiiciemus, inuademus terrena. Ibidem fratrum meorum memor, agendum habens eorum ſalutem, et voluntario conſenſu praeteriens me, transformabor, ſi neceſſum: ambulabo vel reptabo; viuens, vegens, concretus, fluens, foſſilis, metallicus, mineralis ero. Sic totus vbique, vel paſcitantia, vel digerentia Elementa, ante, furtim, a tergo circumſpectans, greſſus, transformationes, combinationes eorum et phoenomena, quantum fieri poteſt, obſeruabo.

Et vero ſi pro votis obſeruata ſuccedunt, ſi inquam, non recuſantes humeri ſunt virium cordis ſocii participes, fortaſſe ſiderum vim, potentiam et illapſus; amoenas aut inclementes coeli conſtitutiones; Epidemiarum ortus, concurſus multiplices et ſtupendos; venenorum naturam et indolem; eorum vultus, gradus, commiſſuras, repercuſſus, poſ-

 ſide-

ſidebimus, vel ſaltem non erimus procul ab illis. Hinc erit quadrata operis ſumma.


Ecce obligationes meae! Satisfaciam illis et religioſiſſime complebo, ſi genium ardori ſufficere valeat: ſed futurum habendum eſt prouidum. Non-ne periculoſum pactum ineo? Annon confidentiſſimus ardor? Orbes, circulosque virulentos conſectando, purus intactusne emergam ego? Et ſi feliciter venenis me ſubripere poſſum, cupiens vitare ſcyllam, an-non incidam in charibdin? fellea critice et triſtis mortuorum amatrix inuidia, maleuolentia ſuffunduntur in viuos omnes foecundiores, quam illae; corroſiuitate et ferocitate venena omnia vincunt. Conſtricta fronte altoque ſupercilio hanc ſane excipient opellam, mellificium hoc, quod tot apes laborioſae ſuxerunt mecum. Fax Eumenidum ardet in manibus earum, vtili et dulci liuorem miſcent, errata tantum illuſtrant, rarefaciunt. Et quidem noua prorſus non cano: meae iam percurſae et delineatae ſunt plagae; intellectus perluſtrauit omnia: perluſtrauit lubens fateor: ſed perniciter volando grauiſſima transiliſſe, vel ſaltem ſtrictim attigiſſe, quis, amabo, ibit inficias? Dare librum nolui: diſperſa collegi membra, concentraui ſcintillas, ordinaui, aptaui cor-

corpus organis; vincit me tyronum amor, auxiliatrices manus illis tantum praebere volui. Quid quid igitur rerum agant persecutrices, animum non frangent, aspernabor. Sed aduersum illas nostram firmemus mentem, celebres tantum allatrant, certe indulgebunt nobis. Quid quid accidat, amicam semper reuerens obseruabo censuram, quae ingenii vis aut vita est. Haec laboris et veritatis filia, alumna aequitatis, Mentorem habet Mineruam; ad artes occupat se, Scientiarum vtilitati indesinenter studet. Ius stat igitur ab illa, et benignam hanc imploro. Si quid peccatum est a nobis, proferrat, designet mentis errores, corrigat; ab omni parte beatus erit, qui plus in hominum vtilitatem, quam in plausus eorum ire desiderat. Sic docilis et gratus ego, indulgentiam in me mereri conabor, neruos duplicando, intendendo, vt humanitati consulam. Humanitas! mater amantissime cara, deliciae meae, summum bonum es! Vtinam amoris mei copiam omnibus facere possim! Vtinam vniuersalis sit haec mea felicitas! Ne igitur, fidem datam fallendo, offendam te, theoria, in hoc opusculo, vt Experientiae seu Praxis summa in conspectum veniet: aequabiliter enim, eodemque

tenore gradiri, intimis manibus ſeſe coërcere debent; ſin minus, medium occuparet error. *Quaque inſtructus, Diis par euadet artifex*, fatur Hypocrates et ſubiungit: *Ratiocinium plurimum laudo, quod ex effectibus initium ſumit, et conſequentias ex phoenomenis proſequitur; quod ſi non ex euidentium obſeruatione, ſed exprobabili tantum rationis, fictione initium ducatur, graues et moleſtas difficultates illud infert.*

Et certe ſyſtematici Medici, aut qui ſe Empyricos ab experientia nominant, haud diſſimiles ſunt nauis rectori, cuius, mari pacato, inſcientia prorſus ignoratur. Sed iraſcatur poſſeſſor *Aquilo*; cooriatur tempeſtas fulminis nuntia, illico palpabilis ignorantia eſt. Succumbit animus, deſperat cor, ſanguis haeret: ſic expugnatur nauis, non arbor eſt relicta, non gubernacula, non remi; ſed quaſi rudis et infecta materies it cum fluctibus; non adeſt lethi fuga, mors errans cum illis fertur ſuper eos. Annon nauticae operae ignorantia iuſte ac merito, tanquam efficiens naufragii cauſa, reputari et obiurgari debet? Mutato nomine, hic, de Medico narratur.

Aër



Aër in vniuerſum.

SECTIO I.





HOMINVM et animantium corpora triplici nutriuntur alimento: illis autem alimentis haec ſunt nomina: Cibi, Potus, Spiritus. Ac ſpiritus quidem, qui in corporibus inſunt, flatus nominantur; qui vero extra corpora, aër. Ille autem in omnibus, quae accidunt, Auctor eſt.

Hyp. de flatib. Cap. 2. Chart. Tom. 6. p. 214.

2.

ET certe, fluidum iſtud intactile, pellucidum, graue, compreſſibile, elaſticum, perpetuo offunditur nobis, ſpiritu ductus alit, ſuſtentat animantes, praecipuum naturae inſtrumentum eſt ad ſuas peragendum actiones, ad exequenda munia; vitae namque et ſanitati patrocinatur. Fluida et ſolida corpora, nullo ex-

excepto, ipſo conſtant, immediate ambiuntur; denſam aut ſubtilem participant proprietatem, eſſentialiterque afficiuntur ſerenitate aut intemperie eius.

3.

Is enim aër eſt, qui excitet et modum ponat ſolidis, qui fluida commoueat. Neminem latet, aërem grauitate donari; eleuat enim in tubo Torricelliano 28. circiter pollices argenti viui. Hinc patet ingens et demiranda vis, qua athmoſphaera omnia corpora premit. Pondus namque premens iuxta omnes directiones ſuperficiem corporis humani mediae proceritatis, ſuperat vim 25000. ad 30000. librarum. Hinc deducere licet, quanta ſolidorum preſſio, quanta vi cohibeantur humorum rareſcentiae, expanſiones.

4.

Aer incluſus vltra 800. vices in arctius comprimi poteſt; ſed innumerae eius particulae, quae pulmonibus exceptae ſubierunt vaſa, et immiſcentur ſanguini, priſtinam molem recuperare tentantes, proprio niſu, inſigni elaſticitate reſiliunt: et quo denſius collectae fuerunt, eo vehementius expanduntur. Sic vna cum ſanguine contranitendo, fluida ſuſtinent ac moderantur ſolidorum potentiam. Exhinc perpetuum quaſi mobile, aequipondii

genus,

genus, quo periclitanti, ſubito ſui iuris facta ſolida aut liquida, plus aequo ſibi permitterent.

5.

Sed bona ſunt vicina malis. Quos mirabiles effectus producere valet aurae ſalubritas et temperatura, eius conuerſiones aut vitia (quae videndi ſenſu concipi vix poſſunt) morborum imprimis, qui populariter graſſantur, ineuitabilem et frequentiſſimam cauſam contrahunt; vnde ſapiens dixit Hypocrates: *Aër vitae et mortis poteſtatem habet: Quid enim ſine hoc fit tandem? Aut à quonam hic abeſt, aut cui non praeſens eſt. . . . . ?*

6.

Aer nocet mechanice vel phyſice: mechanice, pondere maiori, pondere minori, et impetu, ſeu vento.

Phyſice nocet, ſi calidior et ſiccior, vt ab inſolatione, ſi humidior aut frigidior ſit. Ergo aëris delicta perponderare iuuabit.

Grauitas aëris.

7.

Ab imminuta vel aucta aëris grauitate, cuius differentia iuxta barometri obſeruationes verſatur in 2000. libris, ſolida ac fluida corpora

pora maximas et prorſus diuerſas patiuntur mutationes. Moderate grauis aër robur addit corpori adplicatus, vaſa omnia firmiora efficit, fibrae elongationi magis reſiſtunt. Nec tamen rigidae plus aequo fibrae: ſtet namque temperata ſolidorum oſcillatio, expedito, iugique motu arietet in canalium parietes amicus ille, quem cohibent, liquor; vigent membra, totum viget corpus.

8.

Ast quo ponderoſior eſt aër, eo valentius vaſa comprimit et reddit arctiora; hinc vires parietum contra fluida intus contenta adauget: auget quoque adtritum et calorem. Sani homines talem aëris conſtitutionem facile et iucunde ferunt.

9.

Gravissimvs autem ſi reddatur aër, poterit vltimo ſanguinis circulationem per pulmonem ſupprimere; pulmonem maiori pondere dilatando, magis ad pleuram apprimit, maioremque eius partem replendo, ſpatium minus ſanguini relinquit. Sic viam humoribus intercludens miſeram ſpaſmorum et inflammationum accerſit familiam. Hinc aſthmatici grauiorem aërem moleſtum habent, grauiſſimum autem moleſtiſſimum: quamprimum enim ventus ex boreali regione flat, et argentum viuum in baro-

barometro aſcendit, ingruit paroxiſmus, dira vexat circum praecordia anxietas. Sed de his fuſius, cap. de aëre frigido.

Leuitas aërea.

10.

Coelo ſereno viget elaſticitas; vis vitae intus maior eſt; ſani homines eo melius ſe habent, quo grauior eſt aër; ſed flante Auſtro, omnes ſubito languent. Phyſicis manifeſtum vix aut raro, nocere auctum aëris pondus, diminutum autem plurimum. Iuxta *Boïlei* experimenta, animalia ferunt tantum in aëris pondere incrementum, vt argentum viuum tribus vnciis aſcendat: aſt ſi pondus aëris ita minuatur, vt mercurium per tres, quatuor-ve vncias deſcendat, iam omnia animalia vitam agunt, pereunt. Etenim leuis et ſublitis aër vaſa et liquida minus premit. Haec rareſcunt, expanduntur illa; niſus et exploſio interni aëris externo reniſu non ſubigitur amplius; grauitas reſiſtebat expanſioni, periit aëris effoeti efficacitas, reſtat, vt vaſa dilatentur. (*)

Arteriae ſecundi generis tum adeo latae fient, vt liquida primi generis admittant; ſanguis

(*) Vulgo ſolent homines aërem ſub tali conſtitutione grauem dicere; verum tunc certe grauiſſimus eſt, quando ſereniſſimus.

ſanguis in aliena vaſa transibit. Exinde inflammationes, ab errore loci, et malorum infinita vis.

11.

In aëre leuiori ſemper adeſt breuis et frequens anhelitus, (ſibi nouum), vt in altis obſeruatum montibus. Pulmo repoſcit aëris vectigal; quod ſi deſit, in promptu ſunt omnia phoenomena animalium, quae in vacuo moriuntur: tumor immenis adeſt et quaſi vniuerſalis corporis ſugillatio; anhelant enim, anguntur miſerrime, pereunt. (*)

Impetus aëris, ſeu ventus.

12.

Ventvs aëris motus eſt ſaluberrimus, ſi moderatus: ventorum autem temperatiores ſunt: Fauonius et ſubſolanus aequinoctialis. Primus ab

(*) En 1679. *Mr. Mariotte* de l'Academie des ſciences de Paris démontra que s'il y avoit une montagne haute de $\frac{1}{2}$ lieue, de l'eau tiede, qui ſeroit portée au ſommet, bouilliroit comme elle fait dans la machine du vuide, quand on en a tiré la moitié de l'air; que les animaux n'y pourroient vivre, parceque leur ſang, n'étant plus preſſé que par la moitié de l'air, bouilliroit auſſi trop violemment & ne pourroit plus conſerver la régularité de ſon cours. A la hauteur d'une lieue et demie, l'air eſt plus rarifié et plus léger de moitié.

ab Occidente, linea recta, leniſſime quidem, ſed perraro flat: alter ab Oriente, lenis quoque, ſed aliquoties increbreſcit et Fauonio violentius ſpirat. Verni et Autumnales venti perſaepe vehementes; ſed omnium vehementiſſimi ab Auſtrali regione exoriuntur, et ex Africa Occidentem petunt. Tales ſunt, Africus et Caurus. His directe opponuntur, parique ſaeuiunt vehementia Vulturnus et aquilo. Frigidiſſimus ſemper aut humidus eſt aquilo; Vulturnus autem feruidus et ſiccus. Sic torridiores et Praefigidae aurae a boreo auſtrinoque Polo aſpirant; vi ſolari commouentur, ſed ipſamet ſilent et ſternuntur venti.

13.

Ventvs, ſi leuis ac moderatus, eadem efficit, quae ponderoſus aër: ad ſummam vehementiam auctus, moleſtiſſimus eſt; ſimilia, quae grauior aër vitia facit; Vim ingentem adplicat pulmoni; coarctantur fibrae quae iam ſunt in ſtatu violento: perpetuo namque et indeſinenter conantur, vt fiant magis ac magis minores. Sed ſi non agit tumidis veſiculis pulmo, elanguet vitalis aura, breuique ſubſidet nobiliſſimus ille follis pneumaticus.

14.

Omnes venti ſua ſunt natura ſalubres; exſuſcitant, mouent inagitatum aërem maxime

corruptioni obnoxium; temperant calorem aestuantis coeli. En vtilitas! Ecce labes!

15.

PERPETVO calentem et respiratione madidam athmosphaeram remouent a nobis, auferunt, aërem substituunt frigidiorem. Sic e balneo vaporis ad frigidam madidi periculose eximus. Ad nos praeterea adferunt venti (praesertim diuturniores) eamdem aëris constitutionem, similes heterogeneas partes, talia morborum semina, quae in regione sunt, vndè spirant, aut saltem ea, quae viam tentando rapuerunt. Etenim praeter ignis copiam, vt auster et subsolanus, tempestatem siccam et frigidam, aut aquae prouentum, vti boreas &c. Animalium halitus et oua, eorum corpora, miasmata putrefactione soluta, ipsamet salia diuersae fortis; fragrantes vegetabilium materies; vapores sulphureos, olidosque fumos e fodinis et cryptis erumpentes; mineralium partes essentiales et compositas. Praeter ea omnia, ab immortali *Boerrhaauio* demonstratum fuit, ventos, etiam crassiora corpora, a decem et viginti milliarium distantia adtulisse. Sic aeternum mihi colendus et amantissime carus *Hettman Comes de* RAZOMOWSKI, horrendo spectaculo vidit et retulit obuolitantes cicadarum nubes e Tartaria aduenas,

aduenas, agros omnes minoris Ruſſiae exinanientes, et animantibus putreſcendo infenſiſſimas.

Calor et ſiccitas.

16.

Phisicorvm niſus, et audaciſſima eorum experimenta, ſopitum, ſed mobilem ignem omnibus et ſingulis ineſſe corporibus certiſſime probant. Sopitae, quia diſſociatae, ignis particulae intra corpora deliteſcunt: in motum actae, clauſtra diſſoluunt; turmatim erumpunt ex quolibet centro, ex omnibus punctis, qua data porta, ruunt in obuia corpora, diruunt eorum partes, a ſe ſe mutuo diuellunt.

17.

Ignis ergo, iure ac merito, quaſi vniuerſalis corporum motor ac diſſolutor, elementorumque quaſi Princeps reputatur. Incredibilis eius actiuitas emanat et inflammatur a copia et impulſu materiae ſolaris: ab effluuiis et exhalationibus animalium, vegetabilium, foſſilium et quidem diuerſiſſimorum: a fermentatione et attritu corporum, quae in aëre fluctuant.

18.

Motvs ignis maxima celeritate donatur. Elaſticitate et actiuitate partium eius infinite minimarum, corpora etiam denſiſſima ſubit;

indeſinenter ea in liquidi formam transmutare nititur, volatilia reddit, ſola terra excepta. Ignis namque omnis dilatationis et liquiditatis eſſentiale principium eſt; ipſamet aqua fluens a naturali ſtatu degenerat, primariam certe formam recipit, vbi primum ignearum particularum expulſione, vel quiete, congelatur.

19.

Calorem excitat ignis, calore alia Elementa mouentur. Calor namque pendet a particularum ignearum vi, quae ſub earum pari copia eſt, vt corporum attritus: attritus autem, demonſtrante *Hermano*, et calor inde exortus, eſt in ratione compoſita ex denſitatis corporum ſimpla et ex velocitatis duplicata.

20.

Elementa calore commota, aliis corporibus ſuam viciſſim praeſtant opem, et ſi ignis ea a ſe inuicem remouet, et in omnibus particulis ſuis recedere cogit, vt maiori mole fiant; ſimiliter explicant illa virtutem organicam ceterorum corporum, quae viget et increſcit, donec perfectionis punctum aſſequi valeat. Sic calore feruefactus et rarefactus aër, fibras, ſuccos, humores animalium et vegetabilium expandit, elongat, ſimiliter rarefacit, obeundisque muniis pares et aptos accommodat.

21.

21.

Ast ſi ſiccior et feruidior eſt aër, praecipitem agit ſanguinis circuitum; cucurbitarum cuti admotarum vices gerit, humores nempe attrahendo verſus corporis peripheriam. Etenim, vndique per ſuperficiem corporis humani patent oſcula vaſorum exhalantium et reſorbentium, quorum numerus omnem fidem exſuperat. Iuxta *Lewenhoekium*, ſpatium, quod occupat arenae granulum in cute poſitum, 100025. poros velat. (*) Quot ergo tangentur calore ſuperficies, tot erunt certe dilatata corporis puncta: ſed fines dilatati minus reſiſtunt. Ergo liquida turmatim centrum deſtituent, ibunt ad ambitum; incitabunt elaſticas cutis valuulas, et oſtia pandent. (**) Tunc quae ſub roris forma blande perſpirabat humor, in imbres conuerſus, mox aderit aqueae et lymphaticae partis prodiga et funeſta diſſipatio.

(*) Moleculae volatiliores therebinth. nusquam odorem violae lotio conciliarent, ni ſanguinem per pulmonum et cutis porulos inficerent: odor roſarum pallidarum vel medicamenti purgantis in nonnullis chatarſin mouet. Mercurius, aliaeque materies, vt linimenta corpori admota, cutis denſiorem textum ſubeunt. Quae omnia ſane quidem arguunt innumeros porulos, *quibus peruiae* ſunt ſingulae animalium partes.

(**) Vltra namque omni dubii controuerſiam poſitum eſſe videtur, ſingula liquida in motum acta illuc ferri, quo minor occurrit obex.

22.

SICCIOR aër, vt pannus bibulus, aquam adtrahit, humanamque perſpirationem reſorbet. Hinc in Aſia et in omnibus torridis regionibus, vbi aër ita aeſtuoſus eſt, vt ad 70. et 80. gradus thermometri *Fahreneitiani* aſcendat; ibi aqua epota inſtar expreſſae ſpongiae, ex corpore exſudat, vti Dominus *Bernier* eleganter in epiſtolis narrat, quas ex Indoſtania ſcripſit, vbi inter ſcribendum, cutem ſibi deſtillare, attramentum vero exſiccari conqueritur.

23.

AESTVANTE calore, corpus totum ponitur in balneo vaporis; calidum animal continuo pondere minuitur, totum fere in aquam diffluit: ſiccus et feruidus aër auffert hanc athmoſphaeram: ſuccedit et altera, ſed et hanc aër auertit. Ergo corpus breui exhauritur. Experiuntur hoc omnes, qui aeſtiuis feruoribus iter faciunt, milites, et qui rationem habent cum Terra: *Auſtri namque corpora exſoluunt.*

24.

HVMIDO rorido orbata ſolida, flexilitate, agilitate et tono, aut deficient, aut peccabunt; exſiccabuntur fibrae, et ſuae flexioni magis reſiſtent quam ad eorum munia requiritur. Spaſmodice quoque rigeſcent ꞏ erui, aderit erethiſmus.

mus. Praeterea ſanguis ſeri expers, quaſi immobilis et incuneatus, ſibi quodam modo concreſcit: hinc fluidi tranaturi impoſſibilitas, haerentia, infarctus.

25.

Defectu menſtrui acrimoniam obtundentis, ſalina ſanguinis pars oleo ſuo ſeparata, exaltabitur, corrodet; vel aderit acris, ſicca et ſubalkalina cacochimia; vel denſior olei pars tenaciſſima abibit in atram, denſam, et inmeabilem picem. Sic diſſipata parte fluidiori, craſſior in extremis vaſis ſtagnat, ſtagnando fit acris, adeſt acrimonia cum tenacitate coniuncta, quae ſummam vim corroſionis habet, et malignitate inter omnes excellit. Hinc febres ardentes, inflammatoriae peſtilentiales, celerrima degeneratio putrida, et ea omnia phoenomena, quae ingentem calorem diu conciliatum corpori ſequuntur.

Solis aeſtus et auſtri in Aegypto, inque omnibus meridionalibus regionibus, conſimiles progenerant morbos, qui, Borea ſpiranti, de ſuo remittentes impetu, tandem aut ſponte ceſſant, aut ſaltem remittuntur.

Cairo nusquam vel raro perpluit: lethales forent et minime ferendi aeſtus, ni per Tropicum, Nili exhalationibus et ſeptentrionis refrigerio temperaretur infeſtiſſimus aëris fervor.

Corollarium.

26.

Rarescere corpora, humores liquari, eos profundere, ſunt caloris proprietates: Effectus in corpore humano, exſuccatio, arridura, erethiſmus. Ab immeabilitate et acrimonia coniuncta, obſtruuntur et cito deſtruuntur capillaria, et praeſertim tenerrima illa cerebri vaſa. Hinc Medicinae parens accuratiſſimus *Hypocrates Aphor:* 17. 21. *ſect.* 3. dixit *„ in ſiccietatibus febres acutae „ fiunt continuae et ardentes: Tabidi, ophtalmiae, vrinae „ ſtillicidia, Dyſenteriae, aurium dolores, et oris exulce- „ rationes et pudendorum putredines et ſudamina. . . . „ Auſtrinae conſtitutiones corpora diſſoluunt, et auditus „ graues, et capitis grauitates faciunt, et vertigines, et „ corporibus motum difficilem.*

Calor cum humiditate coniunctus.

27.

Caloris et ſiccitatis ſummam generatim expoſuimus: oppoſitos effectus agit in corpus humanum calidus ſimul et humidus aër.

In omnibus corporibus ineſt raritas ad hauriendum ſpiritum aptiſſima; vndique per ſuperficiem corporis humani patent oſcula vaſorum exhalantium et reſorbentium. Vaſa exhalantia ſunt fines arterioſi minimi. Reſorbentia vaſa, capillaria venenoſa ſunt.

28.

Si corporis ſuperficiei fomentum vel tepidum humorem adplico, pro certo dilatabuntur arteriae ab humido relaxatae; dilatati fines minus reſiſtent, aderit exhalatio, dum in aperta interim vaſa tepidus humor ſubibit et reſorbebitur.

29.

Sed longe abeſt, vt deperditio tali reparatione compenſetur, damnum ſub ſenſum cadit: arteriae enim vitalem rorem, ſubtiliſſimam nempe eam partem, quae ad neruos pertinet, transpirant, et ſubtiliſſimum inter liquida velociſſime exhalat: ſaepius autem vaſa reſorbentia bibula ſugunt heterogeneum nociuumque laticem, qui haeret in aere. Fauet namque humiditas terrae emanationibus, ſalia diſſoluit, vehiculum praebet ſaponaceis partibus humi, et aliis athmoſphaerae noſtrae ingredientibus. Adde, quod humidum transpirationi obſtabit breui, meabiles vaſorum transitus fateſcendo: franget quoque vim et elaterem aëris, ipſum abſorbendo.

30.

Et quidem pro rato habetur apud omnes excellentioris notae Phyſicos, minimam aquae particulam infinito plus habere molis, quam par aëris volumen, ſic praeualet humiditas, latice aqueo, intimum corporis textum penetrat, eumque totum facit veluti ſpongioſum: hinc

aucta fluidi ad solida ratione, adeoque minuta solidorum potentia, vna cum retentis heterogeneis, quae venis instillauit humiditas, aderunt morborum funebres apparatus, obstructiones, corruptiones spontaneae (*) *putrescunt* enim, *ni moueantur aquae*; non mouentur vltro, quando adest obturatio canalis transitum tollens liquido, per eum traiiciendo.

31.

Et vero pro diuersitate vasis obstructi, materiae obstruentis, generantur multifarii malignique morbi. *Hypocrates*, post eum *Galenus*, et magni in arte viri vno consensu affirmant, febres putridas, malignas, ipsamque pestem teterrimam, semper generari praegresso calore magno, vna cum assiduis imbribus. Res sic *Lucretio* visa in rediuiua pictura pestis, qua conflictabantur Athenienses:

„ Hi morbi aut ab aëre veniunt, aut surgunt a terra.
„ Vbi putrorem humida nacta est,
„ Intempestiuis pluuiisque et solibus icta. . . . . .

REGI-

(*) Nihil potentius, inquit *Boërhaauius*, partes animalium destruit, quam humiditas cum calore coniuncti madplicata. Docet id solutio cornu cerui in Vapore tepido suspensi. In aëre 40. vel 50. gradibus calente et humido simul ac nebuloso, suspende carnem suillam, post 24 horas putridam reperies, quae in eodem calore, sed sicco aëre, intra triduum demum non putrida, sed rancida facta fuisset.

REGIONES torridae ſunt quaſi propriae peſtis ſedes: Indici tamen et Orientales Africi athletice valent, moderate ſiccis feruoribus aeſtiuis: aſt vbi primum calor et imbres concurrunt vna, mox generantur, populariterque graſſantur morbi peſſimae indolis.

Corollarium.

32.

CVTIS ſpiracula ſtatim dilatat calor; his inſtillat humiditas heterogeneum copioſum laticem, et per fluida textum fibrae ſubeuntia rarior fit elementorum contactus; per puncta namque ſe tangent, quae prius per lineas. Hinc partium raritas, mollities, vis vitae languens, motus muſcularis tarditas, elaſticitatis remiſſio.

AB ingreſſu ſeri vberioris, ab eodem in partibus effuſo, tunc, ſed lenius quidem, quaſi ſub aquis mergimur. Pinguis, nebuloſus et humidus aër deſinit recipere vaporem humidum de pulmone, ipſe pulmonem humectat, et humectans anima in pulmone manet: hinc oboriuntur tuſſes, ſpirandi difficultates, aſthmata humida, affectus cartharrhoſi: oboriuntur alui fluxus, articulorum dolores, ſtazes, oedemata, cachexiae, hydropes, febres omnis generis &c. flacceſcunt enim omnia, et emoriuntur

riuntur etiam plantae quaelibet eo celerius, quo diutius humidi aëris vices passae fuerunt.

Aër frigidus.

33.

In ratione directa solis abscessus, minor est ignis actiuitas: regiones, in quibus radii solares magis replicantur, aut in quibus irradiat directe sidus, aliis longe feruidiores sunt. Quo breuiores seu contractiores radii, eo certe densiores: sic magis in procinctu ad centralem ignem, sunt magis comparati ad sustentandam ac inflammandam eius actionem.

34.

Obliqui radii ab australi regione ad Borealem porrigentes se, magis ac magis migrando disiuncti, extenti damno, se numero et actiuitate demittunt: iactura autem est in ratione spatii percussi, obuiorumque obicum (*) qui radiorum actionem interpellant. Sicque proportione seruata, franguntur radii, donec vltimo ad septentrionis auras extenuentur.

35.

(*) Eneruati radii, si fas sit ita loqui, terrae superficiem emetiendo, leuius attingunt: minus contractae et numerosiores vmbrae calorem defendunt; sic, maior terrae portio orbatur.

35.

His pofitis, iam perponderandi funt ef-ffectus denfitatis aut condenfationis aëreae a fri-gore exoriundi.

Frigore denfantur meatus, roboranturque fibrae; nam quo elementa fibi propiora, eo firmius eft corpus. Hinc ab omni aeuo robur, nerui, fanitas, fuerunt quafi proprium fepten-trionis appanagium; et viciffim, eo molliores et debiliores funt homines, quo Aequatori propiores.

36.

Contractvs et frigidus aër parem vim energiae, fimilem confert fimbolum corporum fuperficiebus; fibras namque, canales, extrema folida cogit, corrugat; fibrarum longitudinem decrefcendo, inuigorat, auget eorum virtutem fiftalticam aut contractilem. Fit exinde, vt, hieme ficca et frigida, plurimum valeat fanitas, vigeat appetitus; vt maior fit internus calor et denfior fanguis.

37.

Corpvs hominis frigentis contrahitur, ergo minus redditur; veftes, quae aeftate corpus vix ambiebant, hieme amplas nimis experimur; ma-nifefto fic minor eft omnium hominum ftatura.

38.

Frigvs fi moderatum, fanum diximus; intenfum nocet, vi adftringenti maxima dona-tur.

tur. Etenim compreſſiua eius actio ſummo iure agit in externas et internas corporum ſuperficies, auget adeo adtritum et calorem. Motus namque et impetus aeſtimantur ratione molis, moles denſitate, et denſitas aëris aequalis eſt ponderis incremento.

39.

Intense frigidus aër, hoſtis neruorum infenſiſſimus, vel torporem iis inducit, vel eos ſpaſmodice torquet. Cutis ſphincteres occludens, poros a muneribus ſuis ſubmouet, concentrat transpirationem, totumque corpus externum ſcindit adplicatus,

40.

Astrictis exhalantibus poris, externi corporis vaſcula obliterantur; perſpirabiles humores incarcerati, retropulſi, centrum, primum mobile cor tenent obſeſſum. Sic, qui prius intimi mutuam ſibi praeſtabant opem, pugnantes aut quaſi Naumacharii facti, in promptu ſunt motus, attritus, calor, febrile certamen, incertique, ſed plerumque funeſti certaminis exitus; homines namque congelant ad exteriora, et ardent in interioribus.

41.

Tvnc enim, vt obſeruauit omni laude maior *Boërhaauius*, ſolida adeo valide in humores agunt, vt calorem per adtritum generent, qui et

et ſuperet externum frigus, et praeterea ſanguinem ſuper conſuetum gradum cogat incaleſcere. Aëris enim hiberni, quando aqua congelari incipit, frigus eſt 32 graduum; ſanguis humani vero calor 92. hos totos 60. gradus, quos frigidus aër perpetuo abſorbet, debemus motu ſolidorum noſtrorum generare.

42.

TANDEM ſi frigus intenſiſſimum ſit, vt vidimus 1759. et 1760, vel tale, quale re ipſa eſt in extremo ſeptentrione et glacialibus regionibus, quas aurae gelidiſſimae inhoſpitales reddunt, adurit tunc penetrabile; ſpicula glacialia ſiderationem ſubitam faciunt, conſtringendo partes ſolidas, fluidas denſando. Ibi namque horologia redduntur inertia gelu, ferrum ſolidius decurtatur, ipſumque Mercurium ex mobiliſſimo ſolidum fit, et ſpirituum pleniſſima liquida, etiam menſe Martio et Aprilis congelantur.

43.

MOSCOVIAE anno 1760. ego ipſe vidi, aquam in liberum aërem ſparſam, in grandinis ſpeciem abiiſſe, prius quam in terram caderet. Viderunt omnes mecum ex ſumma frigoris ſaeuitate, labia, naſus, aures, pedes extremos mortuos. Exempla ſunt, homines ſaniſſimos, animalia

malia absque vllo ſimptomate e vita abiiſſe. Cauſa mortis eſt in pulmone ſubito conſtricto. (*)

Congelatio et Regelatio.

44.

Ab aëre iuſto feruidiore aut frigidiore innumera exoritur morborum cohors, humano generi infenſiſſima. Aſt nulla alia mutatio animalibus, vegetantibus, foſſilibusue pernicioſior, quam viciſſim alternans et crebro repetita congelatio et regelatio.

45.

In congelatione, ſtamina, fibrae, canales in ſtatu violentiſſimo ſunt; fortior namque Elementorum adunatio, villorum minimorum attractio, et contactus maior: enormi tono peccant ſolida, rigent; fluida magis adunata cohaerent.

46.

(*) Illo momento, quo frigus exteriora occupat, fibrae motrices, ſolida et liquida contrahunt ſe. Arteriae vltimae minimae ſanguinem pellunt in ramos arteriarum maiorum, quae ex partibus exterioribus ſanguinem reſorbent. Sanguine acto in interiora, vita quaſi in medio corporis ſubſtitit, omnis fertur ſanguis ad cor.

Sed contractione arteriali et venoſa, ſanguis per Aortam retropellitur verſus coronarias, et ibi patens eſt via ſine reſiſtentia in pulmones, ſanguis in eis accumulatur, aër vix admittitur, anxii obruuntur a coagulato intus ſanguine, qui rigidiſſimo aëris frigori nudus quaſi exponitur. *Boerrhaauius.*

46.

In regelatione ſubita, omnis remittitur elaſticitas; hinc oſcillatio languens et mox abſoluta inertia: humido reſoluti, qui prius congelati fuerant humores, certe et cito putreſcunt; de parte conclamatum, Sphacelus adeſt.

47.

Et certe nec alio tempore maius a labe pulmonali, chronicisque morbis periculum. Caro edulis in frigidiſſimo aëre diutiſſime conſeruatur; ſed quamprimum regelauit, in tabi ſpeciem diffluit: ipſa metalla, quae candefacta aquae frigid immerguntur, fragilia fiunt vitri ſimillima.

Aqua.

48.

Si aër vitae omnino neceſſarius; ſi relatiue ad vitium et ſalubritatem eius recte aut peſſime ſe habeant corpora; ſic ſanitas, integer vitae ſtatus, aut functionum laeſio, morbus, naturam aquae participant: aqua nempe alimentorum, medicaminum, vehiculum eſt ineuitabile: renouat fluida, a deperditione reficit, ſedat commota, ſtagnantia reſerat, ſaliaque reſoluendo, eorum aciem et acrimoniam hebetat.

49.

Quae viua, leuis, limpida; quae in radicibus montium originem habet et arenam ſuperfluit, ea certe eximior aqua; ſalubres qualitates in eam coaleſcunt, et cadit ſub ſenſum ratio. Talis aqua a nubibus directe oriunda, montium cacumine attrahitur, et allicientibus ſe tradit: ſaxoſa interanea permeando, ſi quid heterogenei ſecum fert, circulando amittit; ſic argilla percolata ſalubris erumpit. Contra, quae pluendo terram lauat, quaſi aëris lixiuia reputari debet; nam quae prius liquauit ſalia, iisdem impraegnatur, et athmoſphaeram euerrendo, ſe cum rapit fluitantia heter genea, quibus abundat aër.

50.

Mvltis edocemur experimentis, pluuialem aquam, quae ceteris antehabetur, vitreis vaſis exceptam, multis inſectarum ouulis, innumerisque ſeminibus plantarum confertam eſſe, quae aeſtiuo feruore, expeditis clauſtris, ſub molelucarum organicarum forma, ſenſu accipiuntur. Teniae et infenſiſſimae aliae vermium ſpecies, ſaepius ab aqua originem trahunt.

51.

Admodvm ſimplex eſt aquam repurgandi modus. Calefiat donec tumeſcens in bullas attollatur, quod ſatis eſt ad coquendum tenella inſe-

inſectorum ouula. Semel cocta non excluduntur, et conſequenter nec damnum corpori, nec incommodum important. Salutaris eſt antiquus ille mos. Vitiis exhauſtus Nero, vt laceratam redintegraret ſanitatem, ad extremum conſilium deſcendit, aquam in aureo vaſculo coctam vnice potauit; aliter non biberunt Perſarum Reges, et cum abirent peregre, aqua leuiter cocta ſequebatur.

52.

Ad ſupplendas, quae deſunt aquae qualitates, aquario vaſe arena ſparſo conſidat et pluries filtretur; vel, quod longe praeſtat, ſaepius agitetur aperto aëre, multoties eam de vaſe in vas infundendo. Simplicem hanc aquae praeparationem adoptarunt Phyſici, et aliis omnibus anteponunt. Nam pro ratione aëris contenti, leuis eſt aut grauior aqua: quae arena repurgatur, maiorem aëris partem perdit; iactura eadem erit, ſi bulliat diu.

53.

Thevenot, agens de Nili aqua, quae, vt compertum, turbida et caenoſa eſt, retulit, Aegyptios aſſolere aquam in vaſis fictilibus amplis, amygdalibus prius illinitis reponere, quae, poſt horae dimidium, limpida euadit et potulenta. Hanc ob rem, qui per domos aquam clamitant, amygdalinam paſtam ſecum ferunt, qua obliniunt

aquaria vasa. Non tentaui rem; sed curiosus facili experientia edocebitur.

Calor humanus sanus et vltra mensuram sani.

54.

NASCIMVR, et ex ipsismet vitae caussis exoritur moriendi necessitas; naturaliter enim infringit se vita, homoque totus vel extraneam admittit, vel continet propriam destructionis caussam vita motu; motus autem effectus est calor: ambo, si moderati, sanitatem; si excedentes, praecipitem agunt morbum.

55.

NATIVVS calor noster eo, qui in athmosphaera est, etiam ardente syrio, longe maior, ortum debet violentiori partium fluidarum in se mutuo, in vasa, et horum in illas attritui. Illa violentia, praecordia circum, quasi centralem exsuscitat ignem, qui sustentatur nisu oscillatorio perenni solidorum totius corporis contra cor, et magno ex corde renisu. Hoc vniuersali mechanismo viuificatur et totus incalescit homo. Nam vbique in canalium parietes arietant rebellantia fluida; vbique solida etiam vltima premunt et dispellunt. Et si haec oculo se vix indicant, toti-

totidem ſunt muſculi minimi, elaſtici, maximis, pro viribus, organica virtute pares.

56.

PHYSICI, magnique in arte viri, ſimplicia ingenioſaque nobis condiderunt thermometra ad determinandum caloris humani gradum aptiſſima. Secundum haec, calorem hominis definiuere 95. 96. graduum: calorem hominis in frigore febrili iacentis, 87. ad 94. eius vero, qui aeſtu febrili arderet, a gradu 96. ad 108. Ergo receſſus in frigore minor, a puncto fixo graduum 95. 96, quam ab eodem puncto exceſſus caloris.

57

BOERHAAVIVS, *Fahrenheit*, *Hales*, *Derham*, *de Sauuages*, et alii, haec multoties obſeruauerunt; ſed quanto tempore thermometron adplicuerint, non addunt. Silentii munus expleuit *Antonius de Haen Vindobonae* Profeſſor hypocratice inſignis. Propria obſeruata enarrat, capta in ſe ſano et in pluribus aliis ſanis et aegrotantibus. Si per dimidium horae quadrantem, ſano homini admotum ſub axilla thermometrum erit, notabit calorem graduum 95. 96: Si per quadrantem, gradum 97. 98. 99: Si per horam dimidiam, 100. 101. per horam integram, 101. 102.

At vero, inquit experientissimus vir, si dein bihorio, vtraue adhibetur, nondum obseruauimus, illud maiorem gradum notare.

Si nunc idem aegris admoueatur, per semiquadrantem notabit in modico admodum febrili calore, gradus 100.

Post quadrantem, 101. 102.

Si per dimidiam horam, 102. 103.

Si per integram, 103. 104.

Aliis vicibus in febre continua per mediam horam dedit gradus 106.

Per horam, 109. &c.

58.

Lavdatorvm virorum vestigiis inhaerens ego quoque, iteratis experimentis, datam ab ipsis doctrinam comprobaui non semel, sed pluries. Constantem satis agnoui, aut saltem de fixo puncto graduum non longe dissentire. Hinc quasi pro nihilo reputari debet differentia. Omnia alia corpora non viua, non ignita, non in sphaera actiuitatis ignis posita, vt lignum, lapis, metalla, sericum, lana, aqua, vinum, spiritus vini, alcool, eo caloris gradu calent, qui obtinet in athmosphaera. (*)

59.

Calorem aëris athmosphaerici statuimus minorem eo, qui hominis sani est, idque etiam ardente

*) Vide caput 3. Tom I. Rationis medendi. D. *de Gaen.*

ardente ſyrio: omnibus accurate perpenſis, *Hales*, *Boerhaauius* ſic opinantur, et impoſſibile credunt, vt homo diu ſubſiſtat eo in aëris calore, qui ſuum calorem proprium aut aequaret, aut ſuperaret.

Sententiae congruo, tametſi hanc doctiſſimi *Derham* obſeruata labefactare videantur. Thermometra ſub Aequatore deſignant eumdem caloris aërei gradum, qui hominis eſt; quid? quod aëris calor ſaepe tranſcendat humanum? Subiungit Dominus *de Haen*, viatores in retorridis regionibus, vinitores, meſſores in agris, dum caſtra metantur exercitus, per aeſtatem ſaepe aërem inſpirant, ſuo proprio aliquanto calidiorem, intereaque viuunt. Viuunt quidem, reſpondebo, ſi per paucos dies; ſi per multos, quot putatis illi annos ſecum ferent? Quot infenſiſſimi morbi inde exoriundi? Hanc opinionem expungit ſequens contemplatio. Scimus, dum in arenoſis Africae deſertis venti flant, aut potius ſpirant ignes, robuſtiſſimos elephantes ſaepiſſime necari. Praeterea gentes, coloniae, quae perpetuo auſtri feruore torrentur, ſemper pallent tumidae, nec inoffenſa tempora a valetudine viuunt: notis vtuntur praecautis; ſed quod quisque vitet, nunquam ſatis homini cautum eſt; ſemper ex humorum prodigentia idem ſequitur effectus. In Lydia, Aethiopia,

omnibusque in regionibus, in quibus aër multo calore est admistus, cito consenescunt incolae, nec decantata climatis aut naturae consuetudo vitales diu seruat incolumes; maximus namque calor, vt aetas extrema, animalium plantarumque fibras exsuccat; exsuccatae obliterantur; ab aridura et exinanitione cita mors. Ampullarii, qui ferrariis praesunt officinis, qui aera liquefaciunt, qui cannas Indicas coquunt et recocta purgant, vrentes officinas nequeunt tolerare diu; breui intercluderetur eorum anima, nisi eam saepius reuocarent operarii, laboris alterna quiete, et refrigerio aëreo; sin minus, desudando extincti, interranea eorum tabo putri cito liuerent. In officina locturae sacchari, vbi thermometrum caloris gradus 146. designabat, gradus scilicet 54. supra calorem animalem, intra duo minuta periit auis; periit neruosior felis intra quadrantem horae, et canis robustissimus intra 28. minuta.

Felis exsudans, quasi immersa, periit; canis non sudator copiosam et graue olentem saliuam dedit. Amborum caro citissime corrupta, intolerabilem halitum expirabat.

Ex his inferre licet effectus caloris, qui nostrum proprium aequaret, aut superaret. Rationes physicas in Chemia *Boerhaauius* dedit. Exprimam ex ipso: „ sanguis in arctos, elasticos, fortes

„ canales

„ canales arteriae pulmonaris, vi cordis dextri, „ atque molimine ingenti reſpirationis preſſus, „ actusque, neceſſario per vnum pulmonem fertur „ copia aeque magna, quam eodem tempore, per „ vniuerſum corpus omnesque eius partes ſimul. „ Hinc igitur idem ſanguis nulla in parte corporis „ vsque adeo atteri, adeoque et incaleſcere poterit, „ quam in pulmone ſolo. Foret ergo calor „ illius hominis intolerabilis, immo lethalis: „ verum aër, reſpirando ductus in pulmones, „ eſt ſemper frigidior longe, quam hic ſan- „ guis; et per Malpighiana, ſanguis hic in „ arteriolas minimas fuſus, quae veſiculis pul- „ monum tenuiſſimis adplicantur vndique, per „ ſuperficies ergo incredibiliter latas, exponi- „ tur aëri per omnia momenta temporis reno- „ uato, adeoque ſemper frigido: vnde ſanguis „ ex ſe, in nulla iterum totius corporis pla- „ ga refrigeratur plus, hoc reſpectu, quam „ in pulmone noſtro. Sed ſi aeſtu nimio et „ diuturno laboret aër, euidenter patent, quae „ ſequentur.

Indiuiduorum Transmutatio, Perſpiratio dicta.

60.

Ab orbe condito, ad praeſens, et ſic ad extremum, cuncta terrarum indiuidua ſeriem

 ordi-

ordinando a marmore ad metalla compactiora, a metallis ad Corallii species, a corallinis ad viuam sensitiuam, ex ea ad polypos aquae dulcis, ab his ad elephantes, post hos, homines, elementa, stellarum globi; omne in rerum natura, eadem et constanti lege, simili aut proximo mechanismo, iusta proportione, modo sibi proprio, per poros nempe et analogiam, generantur, conformantur, viuunt, vigent, vegent, reficiuntur, procreant, iuxta ponunt, perspirant, reddunt et exuunt se, donec exaniniantur.

61.

Non igitur offert connubium impar aut iniustam partitionem alma parens Natura; vbique eius actio par est reactioni; vbique generatio destructionis summam compensat. Ergo perpetuus partium et substantiarum motus aut diuortium, meditata tantum combinatio est, variegata combinatorum transmutatio, successio, tot ingenerans collectiones et indiuidua, quot destruit eadem; omnia consequenter corpora aut absorbent, aut absorbentur. Si additione crescunt et explicantur, substractione cito languent; vtrique parti se praebuit natura, pro quaestu sumptum faciens; secus, omnia infundendo, non exigendo tributum, mox numerus nullus reliquiae: sed erro; non euanescunt,

ſcunt, nusquam exſtinguuntur ſubſtantialia defunctorum germina; durant adhuc infuſa, eſſentialiterque componunt orta ab his indiuidua: communicantur et agunt, vt motus et impulſus ab impetu.

62.

Vt autem verba conſentiant factis, naturae ſyſtema euoluendum: Planetarum vires, ſiderum illapſus et dominium excitantur, ſtantque ab immenſis globi terraquei emanationibus; viciſſim illae in terrena transfundendo coeli defluuia, aethercam nempe et igneam materiem, depauperantur. Saturnus ignis, ſuos deuorans filios, ſuffocatur orbus auxilii; auxilium aër eſt: ſolo namque eius beneficio ſuſtentatur: ſed portionem ſui, phlogiſticum effuſiſſimum, nutritori reſtituit. Aquis et igne exſatiatur aër; duplex quoque eius reſtitutio: aquae victum quaeritantes, genuina quaſi elementorum et corporum omnium menſtrua; manifeſtae tamen piſcinae ſunt, exhalantia viuaria, quae reddunt vbique, quod ſubripuerunt globi. Thermales, ſulphureae et ferruginoſae, cruda metalla, bitumina macerant, digerunt, excoquunt; ſed principiorum ſubtilitas, vndarum ſalubrium halitus, noſtros penetrant poros; obſtructa, eneruata aperiunt organa; totum renouant et inuigorant corpus. Sed hic quoque reuocatio ad

ad vitam, et expenſarum ratio, ſortem praegrauant: Minerae, latumiae, perennes aquas, terreſtres, vitriolicas et phlogiſticas particulas bibunt ad ſitim; ſic ſuccum metallicum, chylum marmoreum, oleum, bitumen expoliunt: nec tamen inſeruiunt ſuis commodis, in nobis deſudant. Salia ſaturantur aquis, vt deliqueſcant et euaporentur: oleum phlogiſtici filia, phlegmatis amica, vt pater accenditur; vapeſcit, vt affinis. Deliquium aëris ros, ſalibus diues, flocculis oleoſis, metallicis granis impraegnata, luxuriat quidem, ſed breui miſcetur terrae, arbores et plantas viuificat, aperit florum ſinus, conduntur fructus ab eo.

Terra tandem voraginoſa, totius naturae interpollatrix, veteramentorum omnium quaſi officina eſt; indeſinenter procreat illa, exhalat vbertim, lactat omnia naturae regna. Omne igitur in rerum natura iuxta hoc fatum, ſecundum hanc ſeriem, ſua obit munia, ſimili lege inceptat, tenet iter, ſuos pangit terminos. Similiter homo ſupremi artificis ſpecimen, elementa, cunctaque terrarum abſorbens, omnia ſibi permittens, ad hanc conditionem, aequa lege ſenſim deſcendit, donec vltimum ſtadium decurrendo, propria eius ſubſtantia attenuata, reſoluta, ex integro diſperſa, naturae et elementis ſoluat exiſtentiae ſumtus.

63.

Intus et extus est totum permeabile corpus humanum: hinc totus homo perspirabilis est, vaporarium viuum praebet; in omni namque corporis plaga patent vbique oscula exhalantium et resorbentium vasorum, quorum incredibilis numerus. Iuxta *Leuwenhoekium*, granulum arenae in cute positum, 100025. poros velat, obstruit.

64.

Per annos 30. in trutina suspensus, demirandus et inimitabilis Sanctorius, porosam exhalationem supputans quotidie, aequa iudicii lance ponderans ingesta et excreta, primus certe transpirationem aestimauit. Ex obseruatis Italus homo vegetus, qui intra spatium 24. horarum cibi, potus, libras 8. sorbet, tres tantum restituit assumpti libras per excreationem, vrinam, et per alia nota. Quid ergo de excedentibus fiet? vt enim optime se habeat homo, die sequenti ad modum redire debet; sin minus per mensem ingrauescens, 150. pondo esset, vltra solitum pondus, quod impossibile. Ast pro rato habetur, quinque libras pridiani cibi residuas, per exhalationem, sub roris forma, euolasse. Et si dubius haereret quis, ad speculum ducat halitum, haerentem firmabit speculi fulgor obscuratus; vel, si mauult, nudus apricatione calescat: fumans vmbra vaporantem

rantem corpus exprimet. Sic dum hiemat dies halitus denſati, quaſi columnam ſenſilem ori contiguam figurant.

65.

PVLMONAREM exhalationem cum perſpirabili cutaneo aequiparauit Sanctorius, exiſtimauit vt ſextam transpirationis partem. Si dum ſaeuit Boreas, os accommodes lagenae, et halitus includas; concluſi mox gelu durabuntur: denſata expende, grauitatem habebis. Quotidie ad 22. fere vncias aſſurgunt.

66.

IN Gallia longe minor eſt transpiratio poroſa, quam in regionibus feruidioribus. Iuxta experientiſſimum *Dodar* facultatis Medicinae Pariſienſis Doctorem, viſibilibus excretis eſt vt 15. ad 12. In Hollandia, vt 4. ad $3\frac{1}{2}$: in Anglia, vt 3. ad $4\frac{1}{2}$.

In vniuerſum, vbi minor eſt transpiratio, vrinae copioſiores conſtanter fluunt. Hinc dicere fas eſt: *Meridionales transpirant: mingunt autem Septentrionales.*

67.

TRANSPIRATIONIS imminutio grauiora corpora reddit ab Aequinoctio autumnali ad brumale ſolſtitium; ſed vbi ad Ianuarii finem peruentum, non ingraueſcit vltro corpus.

Saturata

Saturata vaſa expellunt perſpirabile. Viam aperit remiſſior hiems, ſubſequens calor poros laxat, qua data porta ruit illud; ſic ad autumnitatem vsque, eodem tenore corpus attenuatur.

Sanitas et Morbus.

68.

SVPREMI Artificis ſpecimen cor, licet primum viuens et vltimum moriens: proprio tamen perennique motu non perfruitur: non enim a ſolidis vita, non a fluidis duntaxat, ſed in vtriusque conſortio poſita vita eſt; mutua amborum poteſtate regitur tota animalis oeconomia.

69.

TENSIO, firmitas, elater ſolidorum, niſus cordis contractiuus, vitalis cruor, progreſſiuus et orbicularis eius motus, fluiditas, expanſio, vna pariter vitam faciunt.

70.

A DEBITA textura, ab eleganti et concinna organorum conformatione, firmum et ſtabile robur, potentiae motricis conditio.

71.

MOTVS circulatorius lenis, iuſtos expanſionis terminos non excedens; homogenea, balſamica cruoris indoles; principiorum proportio, miſcela, ſtatus integer, et vt ne nimius ſim, fluant humores benigne, nec rigidae ſint plus

aequo

aequo fibrae, nec plus aequo molles, inoffensâ aderit sanitas, vitae humanae thesaurus, decus ac condimentum.

72.

SED multa, paucis, ad sanitatem requiruntur; ea namque omnium conditionum quasi complementum est. Et si interdum viget ille status integerrimus, alias et saepius, omnia in eadem non congruunt ratione; causa leuis harmoniam interpellans, minima laesio morbum facit; vitium a quocumque defectu.

73.

ACTIO corporum in nos necessaria, actio ipsius hominis in se ipsum, ingesta, retenta, applicata, gesta; quae principiis mechanicis agunt, vt: mole, motu, situ; figura; quae Physicis, vt magnetismo, nisu in contactum, fermentatione, putrefactione, dissolutione: haec functiones animales laedunt et consequenter sanitatem.

74.

CONCVRSVS autem effectuum aut symptomatum, intensione aut duratione notabilium, morbus est.

75.

ET vero innumerae morborum causae, quarum culpae affiniores praeteriens modo dicam.

76.

QVID enim non faciet homini male aër malignus, cauſa putrefaciens per aëra vagans? Quid venena, quae pungunt, rodunt, dilacerant, conſtringunt, coagulant? Quid medicamenta, quae obſtipant, obſtruunt, exagitant, et retenta putrida reddunt? Quid non eſculenta, aromata, alcaleſcentia, condimenta homicida ad irritationem gulae luxirioſae nunc vbique copioſius adhibita? Quid omnis generis potulenta, ardenti ſpiritu ſcatentia, fluentes ignes vt aqua vitae, aut potius aqua mortis, et alia, quae certam ſanguini acrimoniam et excandeſcentiam inducunt, quibus indurantur viſcera, ſerum et lympha coagulantur, vaſa immeabilia fiunt?

Quid non tandem, vt abſoluam, improbus labor, vigiliae immodicae, motus animi concitati, ira, dolor, ardor in vindictam, qui ſus deque omnia miſcent? Quid curae, triſtes affectus, ſolicitudines, quae cor intus quaſi inter duo praela ſuffocant, quibus perculſa mens ſtupet, deſperat, concidit?

77.

VVLGARES horum omnium effectus ſubodorant, qui phyſicas ſiue medicas res vel ſummis labiis deguſtarunt; ſed infinita eos latent, quae ſunt grauioris longe momenti, quae, nec

opinantibus, ſaepiſſime nobis accidunt. Effectum noſcimus quidem, cauſam perturbatricem, eius agendi modum ignoramus: ignoti autem nulla, aut fortuita ſemper curatio morbi.

78.

Et porro in ſinu Naturae latent, quae lynceos etiam vt luſcilios fugiunt oculos, et vtrosque deludunt. Haec fortaſſe manent poſteros, eorumque futura promouebunt conamina. Quis hactenus dixerit, qualis ſit veneni peſtiferi natura, quales eius particulae?

In omnibus fere epidemiis cauſa eſt adeo latens, vt veteres Medici et Aſtronomi, eam a ſideribus deriuauerint, vel ad Deorum iras referebatur; vnde ſacri vocati ſunt hi morbi, et ſecundum Hypocratem, eſt aliquid in morbis diuinum, quod nulla humana ratio capere poteſt.

79.

Essentia venenorum ſubtilium a ſenſibus remouetur; ſtimulus nullius ponderis ratione ſenſuum noſtrorum, indolem plane tectam habet, vt et abſtruſos conſumendi modos. Vitae gubernaculis, vt plerumque aſſidet, ſic clanculum, certiſſime tamen, ſunditus euertit ac peſſumdat hominem!

80.

80.

Nec mirum. Anguſtior eſt captus humanus ad attingendum reconditiſſima Naturae arcana: Sapientiſſimi Naturae legum interpretes, probi, ingenue quidem veritatem appellant; ſed ea inquiſitioni eſt, altumque puteum occupat. Superius aſcendit blandiens veri ſimilitudo, ſponte ſe nobis offert, corripimus auidi, ſic decepti, nubem pro Iunone amplectimur. Quod ſi contingat, vt mens veritatis amatrix et cultrix, vana rerum imagine non deluſa, incaſſum eam non proſequatur, tardius tamen, et ſemper operoſe, illam a falſo diſtinguit.

81.

Ex hac humanae mentis anguſtia, immenſus opinionum ab inuicem diſcrepantium et in contrarium pugnantium pelagus. Exinde prudentiores etiam haerent anxii, ne deuia veſtigia premendo, erroris, imo et euagationis periculum incurrant. Sed ſi ſubactae rationis iudicium difficile, praeceps tamen occaſio eſt, vrget praeſentia Turni: periculum in mora. Quid igitur medico agendum? Feſtinet lente: animas negotiantur incauti: audaciores ſe et aegros fortunae committunt, ſic caeci ducunt caecos et vtrique vltimam aleam experiuntur, vel non citra ſummos labores emergunt.

82.

HVNCCE campum ingredi vix mihi quidem citra piaculum licet; coeptum ſane audax et arduum, poſt tot exantlatos labores, et infauſta molimina! nihilominus tamen Medicus Naturae Miniſter, humanitatis cultor amicus, ſe totum in eam profundere debet, vltimaque tentare, vt vel ſanam defendat, vel periclitantem ſuſtentet. Et ſi perſaepe non ſucceſſit ex ſententia, morbum cauſandum, Medicum minime? Eſt enim ſemper aliquid honeſti, immo praeclari, pro virili parte adhibuiſſe neruos. Id an verum, periculum faciam; ſed methodice procedam.

83.

IN phyſicis, ait *Newtonius*, ſemper ab analyſi ad ſyntheſim. Idem dicendum de medicis: vbi namque deſinit Phyſicus, ibi incipit Medicus. Ab effectibus tuta obſeruatione cognitis progrediendum eſt; ſic a certis et euidentibus, ad dubia et ignota deueniendum. Sit igitur

Fluidorum Indoles.

84.

IN humoribus vitalibus ſanis, nec acidae, nec alcalinae, aut alterius fortis materiae vere fermenteſcentes obſeruantur. Obſtat fermentationi motus humorum progreſſiuus; et iuxta Chemi-

Chemicos, non congrediuntur ſalia, ſi liquor agitetur.

85.

Chemia ad ſanguinis indolem varias aperuit vias; analyſi, ignis ope, diuerſa quidem ex eo non putrefacto educuntur, ſal nempe volatile, vrinoſum, acre; duplicis oleoſae ſubſtantiae faetidiſſimae cōpia; parum ſalis acidi tam fixi, quam volatilis; muriatici parcus prouentus, non ſecus ac capitis mortui.

86.

Sal acidum muriaticum, acceptum refert partim a marino ſale, partim a vegetabili ciborum indole nondum ſatis ſubacta.

87.

Vitalis cruor integer, ſeroſus latex eius, naturaliter tantum fundunt, ſenſibusque praebent ſalem neutrum, ammoniacalem naturam participantem, ab aſſumptis repetendum. Neuter autem et innoxius euadit ab vnione et combinatione acidi et alcali per ſe mutuo. Vis immutans ſtomachi ad hoc conſpirat: dein, efficacia vaſorum et viſcerum, liquidorumue miſcela, ad neutralitatem perducunt, illumque ſibi vniunt et aſſimilant; et quamdiu haec vnio manet, ſubactus et aſſimilatus ſal, nec acidus, nec alcalinus eſt.

88.

Ergo sapientis est dubitare, an artis aut validioris ignis producta et educta, talia existant sub eadem forma in liquido vitali sano. Adeo namque blandum est, adeo lenissime salsum, vt optimum *Collyrium* sit oculo instillatum, doloresque leniat. Dum enim integer est, et a putredine, et ab ignis nimia vi, tutus sanguis, neque alcalescit, neque acescit vnquam, sic cum nullo sale efferuescit.

89.

Sed si verba ad rem conferunt, qui fit igitur, vt omnium animalium, imo et vegetantium fluida putridam degenerationem tam cito contrahant? Ecce! Indesinenter illa in acrimoniam sub alcalinam tendunt; nullus enim humor vere animalis dicendus, vnquam sua sponte acescit, licet solis acidis vixerit homo, sed semper in putredinem vergit. (*) Adde, quod volatile et halituosum, quod in ipso aëre continuo ex sanguine auolat, leues alcalinae indolis notas praebet cum odore quodam inter foetorem vrinae et sudoris odorem medio.

90.

Naturalis animalium et vegetabilium tendentia, proximaque ad putrefactionem dispositio,

(*) Les abeilles et les fourmis sont presque les seuls animaux qui donnent des signes d'acidité manifeste.

ſitio, poſita eſt in textura molli, laxa, ſtaminum, quorum raritates multo ſero intinctae ſunt, vt et in praeſentia peculiaris mucido-gelatinoſae partis.

91.

Non igitur, vt placuit *Lemery*, commendatioris famae viro, ſpiritus elementalis, ſubſtantia penetrans, leuiſſima, aethereae indolis; non eius copia et perennis agitatio, parant et gignunt animalem aut vegetalem putredinem: neque parcior praeſumti principii copia, neque totalis eius priuatio in metallis et mineralibus, eorum integritatis rationem reddit: aliud ſane principium putredinem arcet; et genuina cauſa imperuia caligine non obruitur.

Dyſcraſia in alcalinum vergens.

92.

Ea eſt fluidorum conditio, miſcela, qua ſi ſibi relinquantur, calore aut igne tractentur, valent reddere ſalia volatilia, acria, corroſiua, olea foetidiſſima, phoſphorum. Haec ſaporem habent acrem, igneum, vrinoſum, vt et proprietates notas.

93

Horvm origo, natiuae humorum et ingeſtorum indoli debetur: motus autem quo

animantium et vegetantium partes ad haec fundenda disponuntur, putrefactio nuncupatur.

94.

PRODVCTVM alcalicitatis et putrefactionis est quidpiam acre: acre autem quodcumque densum et rigidum corpus est, cuius partes cohaerent fortiter intra se. Hoc per apicem acutissimum, acceptum applicat motum, sic dilacerationis et separationis causa est.

95.

ACRE alcalinum vi immutanti donatur; fluida, humores, eo redigit certissime, vt salinum eorumdem principium euadat similiter alcalinum volatile: mole, figura, motu suo, potentia vrenti, motum violentiorem in sanguine excitat, nisus in contactum, vnionem, contextum solidorum et fluidorum frangit. Sic vitale principium vellicando, corrodendo, resoluit. Exinde corporum cita putrefactio, gangraena.

96.

ERGO putrefactionis natura essentialiter consistit in disiunctione, diuortio partium prius vnitarum: consequenter resolutio et attenuatio formam naturalem, seu proprium alcalicitatis et putrefactionis characterem describunt.

97.

Dyscrasia in alcalinum vergens, putrefactio, vel intus generantur, vel forinsecus accidunt. Horum igitur causa duplex, inhaerens nempe praegumena, et externa accedens procatartica. Vtramque separatim aperire iuuabit

Putrefactio sanguinis intrinseca.

98.

Gravia, tenacia, aquea, leuiter alcalina et inflammabilia liquida insunt sanguini: horum maxima pars ad putridam indolem vergit.

99.

Sangvis ergo naturaliter per se adeo adulterari potest, vt corrumpatur et ex se fundat infensissima, contagiosaque mala. Motus nullus, et motus nimius ad hoc satis.

100.

Mvlti humores in humano corpore stagnant et non mouentur: stagnatio autem et Extrauasatio ad putredinem disponunt: sed vbi nullus datur accessus aëris ad humores stagnantes et extrauasatos, lentius quidem hoc fit.

101.

Havd attendenti mirum! confusa sanguinis massa ex quiete compactilis, albidam materiem, subflauam, satis compactam continet: haec coryum pleuriticum, polypos, membra-

nas artificiales format, et fortasse puris genetrix est. Persuadent, quae sequuntur:

102.

Ab ipso sanguine sano praecaute extracto, non raro secernitur floculenta membrana sic dicta Ruischiana, crustam formatura: pus fit in multis absque praegressa sensibili inflammatione nullaque inuenta substantiae consumptione. Viderunt principes in arte Magistri genuinum pus, idque saepe copiosum in natis veris variolis, extra vllam, vel cum minimis saltem febriculae indiciis, siue tempore contagii, siue eruptionis, siue etiam nonnunquam maturationis. Ergo in sanguine dispositio datur aptissima ad lentorem, cohaesionem, spissum inflammatorium, purisque generationem, et consequenter ad spontaneas corruptiones.

103.

Haec humorum lentor aut viscidítas, vocatur ea conditio physica, per quam partes et elementa, quae constituunt humores, nimis valde se trahunt, vnde concretio partis ad partem, vel nimis impedita resolutio partis a parte.

104.

Vbi namque viscosi lentescunt humores, fluentes ex lato in angusta, vlterius occurrunt angustiis conniuentibus, finibus arteriosis minimis, adunata fluidi elementa transmittere non

poten-

potentibus, quales reuera sunt reticulares distributiones et lyphaticorum arteriosorum ortus.

105.

Hi minutissimi, intruso obsidente, augentur, obstruuntur, sic necessario debilitantur. Obstructio autem et debilitas faciunt putredinem nasci; inertia namque, suffocatio circulaturi, vna cum debilitate canalium minimorum, sunt alterationis putridae fons, origo, principium. Sed leniori passu incedit, non tam celeriter destruit, quam inflammatio a motu nimio exoriunda.

106.

Sensim et latenter tabefactis pulposis vitalium extremis, magis ac magis degenerat humor, iam sponte in putredinem vergens: nam vis aëris calentis ad gradum 96. totum sanguinem et serum inprimis resoluit in liquamen foetidum, primo serum, cruorem lentius, donec ambo abeant in volatilem foetidumque halitum.

107.

Vis minimorum contractilis putredinem arcens, propugnatrix non se praestat vltro; sibi namque dedita, iners facta remittitur: crassum autem stagnando, liquidiori parte orbatur; quiete et laxitate suarum partium, motu in testino et tepore fotum, lentius, quam debito

agita-

agitatum, resoluitur tandem in serum tenuius, subputridum acre rodentem.

108.

Ast si lymphaticis aut absorbentibus venis per erosa vascula impressum resorbetur idem, assiduo putrefacti vapore, sanguinem inquinat; morbos creat ex suo ingenio, qui in nobis suam sequuntur septicam indolem; qui viscerum functiones laedunt, perturbant, destruunt. Exinde inflammationes mali moris, collectiones spontaneae, suppurationes, gangraenae mortis anteambulones, et sphacelus, instantis prodromus.

109.

Si bonis vitae viribus emergit aeger, nec tamen inoffensa tempora a valetudine viuet; colostrum namque subsidens, residuum obstructionis tenax, plasticum, piceum, pertinacissime haerens, saepius in tophosam materiem abit. Exinde obstructiones, schirri nati in corpore per se innocui, motu incitato maligni.

110.

Et quidem haec salina materies diu in loco clauso collecta, innocua est. Sed suis compedibus orba, virulentia non deficit. Et porro, adiutrici causa maiorem motum ad resoluendum obstaculum suscitanti, fit implacabilis; mox abit in foetidum volatile, pingue alcali, cuius acrimonia amurcae instar, inepta ad nutrien-

triendum, ad conſumendum aptiſſima eſt: vaſorum amicientium deſtructionem molitur; ambientia rodit, exedit vicina, progreditur. Hinc putredo, ſanies ſubtilis, acris, cadauerofa; exinde dolor intolerabilis, vrens, pungens, extenuatio totius.

111.

Binae cauſae oppoſitae producere valent eumdem effectum: motus muſcularis vehemens, calor externus nimius, febris ſumma, ſimiliter ac motus nullus, humores in putredinem ſoluunt; in vtroque ſtatu, ſanguis naturam adipiſcitur eamdem alcalicitatis incipientis, attenuationis nempe et reſolutionis in alcalinum acre. Sed praeit ſemper viſcoſitas inflammatoria facile concreſcens.

112.

Nativus vitalis calor noſter facile degenerat in calorem febrilem; hic in aeſtum ſatis magnum, vt ſtruat et moliatur ſanguinis degenerationem, intusque faciat effectus veros elementalis ignis extrinſecus appoſiti.

113.

Qvid qvid enim ſanguinem promouet, et promotum verſus dextrum cor venoſum propellit, poteſt excitare febrilem ignem; ad febrim namque ſufficit, vt cor velocius ſe contrahat. Contrahitur autem a cauſis admodum ſimpli-

ſimplicibus, ab irritatione et reſiſtentia quacumque: vtraque, vel harum alterutra facilis, ſaepiſſime obuia, ad hoc ſatis eſt.

114.

SEDATVS optime valens homo, pulſum naturalem ſedatum habet: currat, pulſus iam fit febrilis: ſanguis enim per motum ex venis expreſſus, ad cor citius redit. Repletum cor acceptum humorem tam cito pellere nequit per pulmones, nec aortae dare, vt rurſus aequabiliter per corpus diſtribuatur. En febris a reſiſtentia: ſed pars ſanguinis ſuperſtes in oppreſſo corde manet, ſtagnat, et ea quantumuis pauca copia, nouus eſt cordis ſtimulus: et ecce febris ab irritatione et reſiſtentia ſimul!

115.

AST ſi diutius currat homo, perenni vibratione ita conteruntur, euerberantur, comminuuntur, ſubiguntur ſolida et fluida, vt ſui partes mobiliores in auras elabi ſinant. Sic omne perſpirat mobile, craſſum inflammabile, phlogiſticum manet, quod repetitis circulationibus fit magis ac magis acre. Acrimonia autem cum tenacitate coniuncta, ſummam corroſionis vim habet; malignitate inter omnes excellit. Sic qui veſtigio ſanus, mox febrilis et ardens, breui calore peſtilentiali morietur et citiſſime foetet. Sic, aucto calore, accelerato motu,

adeo

adeo putridi fiunt balsamici et homogenei humores, vt manum, quam contigerint, cogant desquamari.

116.

Obiici potest a seueri supercilii hominibus, quod torpor naturae, humorum lentor, vel causae vehementes, minime vero sanguis integer et motus eius intestinus, tragoedias oculis subiectas mouerint, egerintque?

Assentior quidem: sed eam saltem probare humorum vergentiam ad putredinem, quis, amabo, inficias ibit? Et si quid dubium est, immutabit, diluetque sequentis casus expositio:

117.

Anno 1753. vir nobilissimus me in consilium adhibuit. Filius eius vnigena anniculus, pridiano sanus, epileptico insultu tunc conflictabatur: ante fuerant nausea, vomituritiones, eiulatus magni, agitatio summa. Sub dimidium horae accessus mei, siluerunt epileptici motus, leuis haemorragiae narium beneficio; sed semper ardens erat tenellus, cuius splendebant oculi. His, tenuis et calidus liquor manabat.

Antecedentibus omnibus accurate perpensis, effectum quidem vidi, sed defuit adhuc causa morbi genuina. Eam tamen quasi subodorans, specie ductus, variolas satis audacter fui vaticinatus.

natus. Illico, blandum ſubriſit vir in multo ſcibili verſatus, haec adiungendo: plus amicitiae, quam credulitati concedam. Nunc dira ſaeuit hiems, ab anno et quod excurrit, ruri apud me ſolitarius viuo: rus autem meum ab omnibus longe diſtat; ob coeli inclementiam neminem inuiſi; ſalutatores defuere; variolas non audiuimus, et iam pridem eſt, ex quo eas habuimus omnes, praeter filii adminiſtram chloroticam. Qui igitur fieri poſſet, vt absque praegreſſa communicatione, contagioſum venenum intus concepiſſet filius?

Argumento haec repoſui: rationale quidem dubium tuum eſt, ſed etiam oculatiſſimi arcana naturae ignorant: et ni fallat me practica fides, ne ſis fruſtra: fortaſſe vates ero. Antiphlogiſtica, nitroſa exhibui; liquido blando tota die infantem impleui; peculiari cura ſtudui, vt totus patiens, quoad eius fieri poteſt, laxetur, emolliatur; vtque, vndique ablata reſiſtentia, eruptio materiae fiat ad cutim commodiſſima.

Tertia morbi die, matura veſpera, aliquot, ſed diſtinctae prodierunt papulae, quarum aſpectu mire obſtupuit pater! Eruptio ſubſequens pro votis ſucceſſit: benignioris generis variolae fuerunt, licet confluentes, ad curam abſolutam vsque; ſuique ſtadiis commode decurſis corpus ſanum, integrum reliquerunt. En ſucceſſus. Ecce infortunium! In

In media chlorosi, virus variolosum novit pueri Ministra, et hoc mirari subit, in cacochylia laxa, lympha cruda, aquea est, sanguisque minime phlogisticus, et consequenter inflammabilis fere nunquam. Contagium tamen suscepta, quarta morbi die conspiciundas variolas dedit, confertim mox et ubique confluentes: orta est passim brevi ab eruptione salivatio magna.

Sextam diem agebat morbus, cum petechiae atrae se inserverunt, praeter modum saliva faetuit: disparentibus postea variolis, suppresso ptyalismo, dysenteria cruenta oborta est. Omnia tentavi, sed quod dolendum! non venit pro illa petitum auxilium, quin, confidenti facie, antisepticis excellentioris notae, vesicatoriis frustra adhibitis, quantum expedit applicatis, nona morbi die, gangraena occubuit. Sic docet experientia vel benignissimas variolas a causa vix detegenda in malignas mutari.

Nimius quidem hic fui, sed urgebat casus. Adhuc tamen detur concessu brevis reflexio!

Si anniculus puer sanus, cujus parentes, nutrix etc. integri corporis et illibatae sanitatis fuerunt, cujus humores balzamicam lactis naturam participabant, interdicto omni contagio externo, hyemanti coelo, variolas passus est, si puella chlorotica, vix animam trahens, ex

 benignis

benignis malignas, miranda mutatione ſuſcepit; ſanguis ergo naturaliter, per ſe, adeo adulterari poteſt, ut corrumpatur, et ex ſe fundat infenſiſſima, contagioſaque venena. Quod erat probandum.

118.

Et quid ni ita? vt enim defoecatum nobile vinum, quod per evaporationem nihil de parte ſpirituoſa perdidit, abit in acetum acre, mordaciſſimum, absque auxiliaria tartari acceſſione, modo moderatus calor combinans ardentem ſpiritum cum acido paulo fixiore, quod in vino latebat, inteſtinum adjuvet motum: ita et ſimiliter absque ſuſcepto forinſecus ſtimulo; acerrimus fit ſanguis.

119.

Tota utriusque converſio unice debetur novae principiorum diſpoſitioni et combinationi, auxiliante ebullitionis aut effervefcentiae motu, debito caloris gradu concitato.

120.

Motus ille haud diſſimiliter acidas vini, vel ſubalcalinas ſanguinis particulas expediens a pinguium, oleoſorum, aliorumque principiorum compedibus, eas ab vnione removet. Tranſpoſitae particulae aliter combinatae, novam formam inducunt. Sed mancipata combinata otioſe diu manere minime valent; luctam facilem

et

et necessariam concipiunt in sanguine prono. Sic sui juris facta, corpus totum summo jure laedunt.

Causae Externae Putrefactionis.

121.

Ex praelibatis experientiae consonis, neminique obviis, intelligere datur, quantus sit internus calor noster; quantae humorum fuligines; quanta perspirabilis summa et retentorum acritas; quanta horum omnium vis, energia, et propensio, ad indolem alcalinam.

122.

Fluida humana motu intestino praedita, repetitis circuitibus, nota velocitate, ita incalescunt, ut nimiae rarescentiae pericula incurrant. Haec limpida sunt, in lacte, oleo, chocolata, aqua saponacea, ovi albumine, et similibus everberatis et agitatis.

123.

Rueret brevi et tota consumeretur humana compages, nisi quiete moderata, et debito succi nutritii appulsu, modus calori imponeretur, nisi fieret deperditionis instauratio, ut et exhalatio retentorum.

124.

Sed aër, quies, cibus et potus, persaepe non compescunt sanguinis ardores, ejus acri-

moniam non eluunt. Eam non everrunt excretiones.

125.

Et porro, non est ab ipsis culpa haec procul! Alimentorum, potulentorumve quantitas, qualitas, usus, optio, pendent quidem ab homine: sed natura provida appetitus igniculis necessitatem indicat. Si quid peccat homo, se totum offendit. Sed multa ei sunt extra culpam.

126.

Res etiam naturales, vitae necessariae, exitialem labem sanguini inferunt, et quod quisque vitet, nunquam satis homini cautum est in horas! Aër namque, alimenta, potulenta, ut ipse sanguis, per se, et haud raro per accidens vitiantur; innumeris scatent heterogeneis, quae puritatem et salubritatem nativam depravant.

127.

Aer, vitae, si purus, mortis, si malignus, potestatem habet: ex analysi, impetu, rarefactione, condensatione, humiditate et siccitate supra modum, culpae proximus est; sed piger et stagnans, mox subputridus et pestilens evadit.

128.

Si diu venti sileant, nec roraverit quantulumcumque imbris ad everrendas aëris sordes, eluendasque particulas ejus salinosulphureas, teter

teter fit, insuavis, aggravans, putrorem humidum concipit.

129.

Terram multa aqua et acido onustam existimant Physici recentiores: horum adunatio combinatum fundit salem. Sed praevalente caloris aut humiditatis excessu, vis attractiva infringitur, nisus in contactum, adhaesio minor est. Sic adulteratum acidum, vapescens et fluxum perit, et ab eius exstinctione certa et celer corruptio, morbi sparsi, contagiosi, pestilentes, qui occupant singulos et medicamina vincunt.

130.

Spiritum hunc universalem, acidum hoc, vitriolicum nominatim appellant Chemici, qui alia omnia acida sincere spectant, vt tecta cognata acidi hujus primigenii. Nec sane deliramenta loquuntur; si in ambiguo haereret quis, videamus hic ne, an illi insaniant?

131.

Lintea bibant alcalini fixi lixiviam, aperto dein aëri exponantur madida: in posterum tempus salinam efflorescentiam induent, quae aquoso menstruo soluta, vera tartari vitriolati crystalla per evaporationem dabit. Vitriolatum autem tartarum, oleo vitrioli et tartari combinatum est; ex nihilo nihil fit, ergo revera

 existit

existit prius acidum aëreum primigenium, vitriolicum nempe, effusum et vagans in atmospheram, cui appetit concursus et combinatio cum corporibus obviis, dum modo natura eorum, indoles, ab eo non discedat, et in mutuos coëat amplexus. Aër quoque vitiatur per accidens, quomodo? Ecce

132.

NATURA, terrae globus elementari principiorum genere confectus, ex toto meabilis est, vaporiferus: omnis namque exspirat humus, omne solum uliginosum; exhalant aquae; ignes subterranei flammam evomunt, eructant montes; animalium et vegetantium corpora succis undique affluentibus restaurata, indesinenter transpirando, quoquoversum, restituunt.

133.

CORPORUM mobilitas, subtilitas, volatilitas, a gemino universali menstruo pendent. Hoc actuosum, fugax et potentissimum principium in aëre et aqua inventum adest. Ambo, expansiva sua elastica vi, materia etherea calida, ex omnibus corporibus subtiliores partes solvunt, abripiunt, imbibunt. Uberrimi hujus materiae rivuli, a quibus pendet corporum levitas et inflammabilitas, intus admissi, corpora intercurrentes, illa a se invicem disjungunt,

scorsim

feorfim movent, motu perturbato, qui ad fluiditatem requiritur.

Nihilominus tamen quandam inter fe connexionem et intricaturam fervant haec; habent illa; unde fluidi lentor, craffities, et certa Elementorum adunatio, neceffaria ad compofitorum integritatem.

134.

Aer igitur et aqua funt quafi rerum omnium Chaos, permixta et confufa exhalationum moles, et confequenter feminarium foecundum omnis putredinis ac virulentiae.

135.

Contracti hi paragraphi fepticorum fere omnium ut et penetrantiffimae indolis venenorum, originem, incrementum, explicationem acute complectuntur. Intelligenti namque pauca fufficiunt, et aufcultare paucis amat ille. Ferax quidem eft peritiffimorum noftrum hoc aevum, fcio: fed ad praeceptores non confcribo. Eorum faces in praefidio meo funt, ambulo cum illis. At dum tolluntur in aëre audaces aquilae, imbellium avium multitudo gregatim pedibus explorat iter, vel terram volando radit? Titubantium volaturae accommodemus omnia; explanatum faciamus iter; profpectus refpondere debet debilitati: fed ut facilia ex difficillimis ardor nofter redigat, neceffario, maxime igitur

in ꝛreſt virulentiae feraciſſimae ortus, complicatas ejus notiones, phoenomena evolvere et explicare; naturam ejus, indolem tectam, tyrannidem per capita ſingula perſequi, ut dextrum modum noſcant omnes in rebus faciendis.

Aſt incedere per ignes ſuppoſitos cineri doloſo, coeptum ſane quidem audax et arduum! In hoc tamen praelio vita poſita eſt; omnis fortuna diſceptat. Ab illis namque mors immanis imminet. Ergo nervi ſe ad ſcopum intendant, in portu fortaſſe nauigabimus.

Halitus, Fuligines, Myaſmata Septica.

136.

MALIGNAE et venenatae aurae, minerales fuligines, ſalini fumi, halitus, exhalationes, myaſmata ſeu effluvia morbifica et uno verbo, contagia omnia, principio ultra modum tenui, ſumme mobili, actuoſo, fugaciſſimo, penetrantiſſimo et conſequenter communicativo donantur.

Haec omnia, vel ex aquis ſumuntur, vel ex mineralibus; vel ex plantis, vel ex animalibus horum claſſes, regna, familiae exſurgunt. Horum elementum aër: piſſina autem, vivarium, aqua eſt.

137.

137.

Menstruum primigenium, universale, dissolvens, argenteus ille liquor, mundo coaevus, aqua, cui nihil deest, cum simplex, limpida, tenuis et levissima, nisi quod vulgatior nimis nota sit, et ideo minoris pretii; persaepe tamen ut venenum infamatur. Nec immerito! putrescunt enim, ni moveantur aquae; saporem ingratum vt et inimicum odorem contrahunt. Geofroi, de aqua.

138.

Praeter ethereas et aëreas partes, multis adhuc constant heterogeneis, pharmaca haec universalia, vitae, sanitati, ut morbis omnibus, accomoda: ex terrae visceribus, ex aëreo lixivio, alienas dotes secum invehunt: calcariis, lutosis, lapidescentibus, sulphureis et metallicis partibus foeta sunt et turgida, in sinu suo celant et abscondunt. Hinc saxa, lapides, metalla corrodere valent, vel ipsum aurum tritus ope solvunt. Exinde viscosa aqua est, halitum aquoso oleosum dimittit, dum rarescendo in tenues abit vapores aut evanescit.

139.

Putredinis omnis parens est lentor, stagnatio; hanc insuper adjuvat, efficit, terra limosa et sulphurea. Stagnant autem aquae paludosae, lentescunt; copiosum admixtum habent glutinosum, pingue; viridem aut sub-

caeruleum cremorem, ſulphur perſuaſibiliter ſignificantem.

140.

Aquae igitur non motae, in terra dicta diu ſubſiſtentes, incipiunt putreſcere; intima eorum mixtio motu inteſtino diſſolvitur. Ea namque eſt motus inteſtini natura et actio, ut ex ſuccis temperatis, ex liquidis inſipidis, inodoris, imo dulcibus, ſapidos, ſalinos, volatiles; item ſulphureos, foetidos, acres, producat. Aſt non tantum eſt.

141.

Quidni etiam incipiens putredo partes ſulphureas et terreas aquarum, aut quae piſcium, inſectarum, plantarumve nutrimentum cedunt, in ſalſas et acres commutare poterit? Jam haud attendenti mirum, ſi feraces ſint admodum ſtagnantes aquae ſalibus acribus, cauſticis. Primus haec obſervavit *Hoffmann*, Germanorum lux.

Audientiam ſibi faciant ſapientis verba. „Plantae, quae in ſtagnis et humidioribus locis „proveniunt, quarum pleraeque acrem, plures „cauſticam et virulentam naturam poſſident, „uti Acorus, Arum, Anthora, Oenanthe, „Aconitum, Alſine aquatica, Cicuta aquatica, „Colchicum, Famma Jovis, Gladioli et iridis „ſpecies, Ros ſolis, Perſicaria acris, Equiſetum

„paluſtre,

„ palustre, Ranunculus aquaticus, Caltha palustris
„ nasturtium aquaticum, Beccabunga; quarum
„ pleraeque venenatae et pecoribus etiam, si iis
„ vescantur, exitiosissimae. Hae oscitando ad
„ solem, vel putrescendo, acres et causticos
„ halitus emittunt.

142.

Praeterea, huc adde copiosa effluvia, quae partim ex se ipsis emittunt insecta, partim etiam, quae ex iis putrefactione resolutis scaturiunt et fugiunt. Haec sparsa effluvia Cantharides testantur, quae ubi arbores, et ex his maxime sambucum Hispanicum invadunt, foetidissimo odore aërem replent. Sic odorantur et colliguntur in Russia minori, ubi saepe numero affluunt. Quae diversissimae naturae exhalationes, per mutuum conflictum, combinationem, miscelam, intercurrente solari, coelesti, copiosa materia, varias formas ac texturas induunt. Nec tamen virulentia labuntur, et porro in volatu, persaepe viribus crescunt.

143.

Haec minutissima varii generis et magnitudinis effluvia validissimo solis aestu in altissimam aëris regionem evehuntur, sole occiduo per frigus densantur, convolant, devolant, cum humiditate quadam descendunt. Exinde nebulosum coelum est, terra rorescit. Id genus roris

naturae

naturae humanae et animantibus infenfiffimum eft; frumenta, fructus, arbores et plantae, ex hoc multum detrimenti patiuntur.

144.

Boërrhavius. Haud igitur mirari fubit, fi non magis in aëre animalia rara fint, quam in aqua pifces, vermiculi: cicadarum nubes fuper Occeani altiorem alvum volantes vidit in itinere Jamaïcenfi *Hanfius Sloane*, quae ex Afia in Americam, fuper immenfum mare iter faciunt: pluviofus aër plenus eft ovulis, innumerisque aliis morborum feminibus; foetus eft animalculis rodentibus: acetum, vinum, cerevifia, poma, pyra, panis, butyrum, cafeus, verminefcunt, et longe facilius aqua, quae tota verminofa eft, eaque maxime, quae a vegetabilibus prolicitur.

145.

De Sauvages. „Ab his forinfecus applicatis, Corium „animale probofcide perforatur, ovula depo- „nuntur intro; exinde prodeunt in cute capil- „lata, pediculi, culices; pediculi inguinales, „crinones Ægyptiorum acari, infecta varia, „ut erucae, varenae, aliaque vix cognita, „paffio bovina, vena medina, fcabies, ulcera „verminofa: Roterdami terribile in puella exemplum exftitit, cui omnes fex finus pituitarii vermibus pleni fuerunt, qui de hora in horam increfcebant. Hanc fanavit *Boërrhavius*

fumo

fumo leviori cinnabaris et tabaci cum aqua decocto, per nares adtracto, quo continus coëgit animalia, ut de naribus desilirent. Intus quoque irrepere possunt, et si calorem incubatui necessarium, et pabulum aptum ova sortita sint, excluduntur. Exinde lumbrici, teniae, ascarides, primarum viarum hospites.

146.

Horum autem incubatus permittit, virium, caloris, fermentorum debilitas: excuduntur ob pabuli acidodulcis copiam, ob bilis vapiditatem, ut nervose describit praeclarum ingenium Monspeliense in Pathologia methodica.

147.

Intus si retineantur haec, nocent mordendo, vellicando, putrescendo, atque exinde convulsiva mala multa sobolescunt, verminosa dicta, in primis viis.

148.

Ad hunc modum manant, disseminantur, nocent, aliorum animantium halitus, horum corpuscula putrefactione resoluta; contagia ex pestiferis, variolosis, scorbuticis, scabiosis, syphiliticis; vapores putres ex sepulcretis, ex exercituum latrinis, ex squalidis nosocomiis erumpentes: similiter evanescunt, resorbentur fluida aliena, turbulenta, teterrimi afflatus, uberrimi flocculorum oleosorum rivuli, fluentes

ignes,

ignes, spiritus urinosi subtilissimi et acutissimi odoris, indolis pungentis penetrantissimae: eo enim loco, ubi ignes subterranei flammas et fumos evomere solent, ut ex sulphuratis puteolanis, ex rupibus, ex antris, mephitidibus sat abunde patet, fumi nitrosi, vitriolici, sulphurei, arsenicales, continuo ignis ope, carceres, quibus detinebantur disrumpentes, faciunt impetum, fulminant, tonant, virulentumque adeo emittunt halitum, ut homines et bruta, obnoxios omnes, citissime necent.

149.

Haec omnia in aërem irruunt; aër debacchatur in illa; sic veneno alieno impregnatus, ingurgitat se flagitiis. Sed heu! quod habet in partes, fundum restituit, inspiramus cum eo, cum cibis deglutimus, sic odoratu, suctu, attactu, a tubulis capillaribus bibulis rapitur. Hoc pacto, lues omnis hominum, brutorum, vegetabilium corpora subit. En prima frons venenorum et extrinsecum destructionis principium! In ejus vultu semper habitent oculi nostri. Observandum est. Majestas artis statuit ibidem insignia sua; triumphus, gloria medici, in hoc cardo rei vertitur. Sed hanc antecedit hominum salus, nihil supra.

Vene-

Venenorum Natura et Indoles.

150.

Gradum accelerando, via magis ac magis ſe ſcindit in partes, intricatior nodus ſeſe conglobat, appendices ſpinae manus meas alienant. Quantumvis progreſſa jam ars prope divina, medica ſcientia, longe adhuc plura detegenda ſuperſunt, quorum cognitio per magni intereſt. Hujus cognitionis acquirendae ſumma difficultas, pene immenſa eſt, quaſi velis obtunditur, unde labor ingens, obſcuritas et confuſio.

151.

Qua ratione mixta ſe habent principia, ex quibus conſtant principiorum inter ſe connexio ac proportio, a quibus praecipue pendet horum vis et energia? Hic dicendum, quod res eſt, noſtrum hoc vulnus, noſter dolor! etenim ſi ſemper ardui ſit operis rerum etiam obviarum et ſimpliciſſimarum naturam inveſtigare, elucidare, harum genuinas aperire cauſas, effectus evincere ratione, cogere in ordinem, ad veram utilitatem adducere; qualis mihi proſternitur materies et campus? quid dant, quid permittunt ingenio, venenorum natura et indoles? vel atrae tenebrae lucem ſupprimunt, vel obſcure tantum, et quaſi per ri-

mam

mam fallentem ſubeunt oculos; ſic inumbratur veritas, ſic vanae finguntur ſpecies. Quomodo igitur longius progredi, proſequi fuſius? Quomodo verum a falſo et commentitio extricari et diſtingui poteſt?

152.

Gravissima quidem haec objecta ſunt, nihilominus, probabiliori conjectura diluam. Nihil amanti difficile, nihil quoque ardui humanitatis cultori puto. Naturam explicavit amor; ſic res impeditas ſtudium ardens expediet. Permittamus habenas ingenio: ut enim generatim exploratam habeamus machinam non ſemper neceſſum eſt eam in ſuas partes diſſolvere; ſcrutator diligens et acris, cogitatione, mechaniſmum aſſequitur.

Lis inaudita eſt, leges confligunt et colliduntur: quid faciet Judex ſanctiſſimus? Ecce: comparando rem ignotam cum re nota, expicari tentatur. Mox illam tangit acu, problematis ſolutionem habet, et merito de lite ſtatuit.

153.

Venenorum natura, ut plerumque, ſub forma et in ſpeciem elementalem redacta, nullius ponderis ratione ſenſuum noſtrorum, mentis quaſi luminibus officere, idiotas et acutiſſimos ſimiliter deludere videtur.

Sed

Sed quamvis non cernatur nuda et fugiat analyſin, nihilominus tamen mente concipitur; et ubi ſenſus deſinunt nos ducere, ibi ſupplemento ſunt ratio, experientia, rationis ſubductae judicium: ratio lumen noſtrum eſt, et experientia omnis ſcientiae certae fundamentum: prudentia autem eſt ſcientiae oculus; ſapientia tandem manus eſt. Sic ſpecies et formae rerum etiam abſtruſarum impreſſae, quaſi ſignantur in animo, et quod occultius habent, aut parant, revelatur.

154.

Occultum hoc, ſenſibus fit cognitum per mutationes phyſicas in corporibus aegrotantium: mutationes autem illae ſenſiles, ſunt quaſi totidem infallibilia phenomena naturam veneni revelantia. Symptomata haec inſolita et ſtupenda concurſus varios et multiplices quidem habent; certa tamen ſerie, ordine certo concatenantur; quaequae oportet, ſigna praebent, ſua quemque inſcribit facies. De cetero utcunque tecta ſit venenorum eſſentia, hanc determinando ad ſpeciem notam, cui maxime eſt effectibus ſimilis, tectum virulentiae genium ſentitur. Sic comparatione facta, ductoque analogiſmo, vates fit Medicus. Naſcitur indicatio, adjutamentum patet. Ergo phenomenorum inquiſitio et obſervatio nunquam ſunt

contemnendae: hoc modo nec ludet operam Medicus aut Philoſophus in inveſtigandis cauſarum cauſis. Clavis igitur nobis eſt, penetrare licet.

155.

Sed formicinum teneamus gradum; nimis celer, praeceps in omnibus conſiliis per praecipitia defertur, imminet illi fatale exitium, acheruntICUS eſt. Pedum igitur videnda via, ſcabroſum eſt iter, feliciter et honeſte emergendum. Ne peccemus in rem ut et in nos ſimul; religioni habenda eſt res, nusquam ſatis acri judicio interroganda, dirimenda, nec tamen angens in medio reliquenda. Ergo littoralem tenebimus oram.

156.

Chemica analyſis adhuc videt procul venenorum ſubtiliſſimorum naturam; ignis namque tortura, omne quod exhibet et procreat, indolis ſepticae judicium certum non facit: liquorum notorum concorporatio, miſcela, ſingulare certamen, ebullitio, fermentatio et alia, ut ſapor, odor, tinctura combinatorum, corporum reſolutio, transmutatio et neutralitas, parum probant; ſic animum non explent, omniaque, ne nimius ſim, tentata, propoſitave experimenta ad rem huc usque inſufficientia videntur, ſi non ſunt incerta, et quod majus eſt

eſt, ſaepius errori obnoxia. Latet igitur anguis in herba. Quantum fieri poteſt, illum quaeramus ad necem.

157.

Is tamen non ego confidentiſſimus, qui credat mentem infuſam per artus meos. Haeres Adami lapſi altior ſcientia me fugit; tenebrae ſunt appanagium. Is quoque non ego hodiernus alter Timon artium et ſcientiarum oſor, qui vitio det aut crimen induat illis: ultra leges tendere nefas; et paulo longius provectus eſt Vir, aliunde dignus, quem magni faciant omnes. Ab artibus et ſcientiis jus ſtat; optime de omnibus promeritae ſunt; jam unanimis gratia eſt. Beneficii memor, et debiti religioſus, reverens obſervo ſapientiſſimos naturae legum interpretes, qui pertinaci induſtria, pro parte virili, ſecundum naturae normam, ulterius artem promoverunt. Tentamina, obſervationes, experimenta eorum, inventa, digeſta, collecta, orbem locupletarunt, auxerunt, illuſtravere; haec quaſi totidem ſunt uberrimi fontes, a quibus hauritur evidentia. Et porro nec futilis horum inveſtigatio, nec inventum inane. Haec poſt habere, vix citra piaculum licet: prudentiae ac ſapientiae notis inſignita, ſunt eruntque ſemper artis rudimenta, fundamentum.

 158.

158.

Hic igitur ſpem et terminos ingenii reſecando, inexpertos ſtadium hoc ingredientes monitos tantum velim, nimium ne credere colori connexorum hypotheticorum, ut et analogiae et affinitatibus Chemicis, praeſertim et relative ad corpus humanum, a vaſis aeneis, ſtanneis, fictilibus, ex toto diſſimillimum. Haud enim clibanus eſt, licet vaporarium illud; non capitellum caput: ſtupenda ſolidorum compages, nativus calor noſter, fluidorum indoles, proportio, fluxilitas, impetus, derivatio, elaboratio non quadrant, diſſonae ſunt reverberantibus caminis, metallorumque aut ſalium excoctionibus: cum ingredientibus notis vere componere non licet. Sublimiori longe mechaniſmo conſonant ſolida, turgent venae, arteriae pulſant, ebullit ſanguis: elementa humana artis miracula ſupergrediuntur, mirabilius inter ſe combinantur, quam ſalia in cryſtallos concreſcentia variae figurae, pro genere ſalis et peculiari attractionis vi. Et porro calcinatio, detonatio, exploſio, corporum decompoſitio, combinata principia praebentes, veram horum combinationum naturam non revelant, non faciunt palam; modum ejus in lucem ex occultis tenebris nusquam extrahent, aut aſſequentur. Adſcribant ſibi

ſibi hoc exemplum medullitus mechanici, (*) et Hydraulico-ſtatici Medici, qui ubique in corpore humano elateria, vectes, funes, hypomoclia, anthlias, folles, ordinant et mirantur. His namque nil arridet, niſi calculum geometricum ſapiat. Sed taceamus, jam premunt adverſarii, fronte minaces; levis armaturae militem repriment! Quid rerum gerant, magis amica dominetur veritas. Ad propoſitum revertor.

159.

OMNIA fluida aliena, turbulenta admodum, ſubtiliſſima, penetrantiſſimae indolis, acerrimo et nocentiſſimo elemento imbuuntur. Minima mole agûnt, breui tempore nocent, in fluidum tenuiſſimum animale et in partes maxime nervoſas, quas irrorant, ſuam vim, violentiam et tyrannidem exercent. Hinc non injuria, nec immerito, ut venena execranda, infamantur. Hic implicata quoque et conſcia velim, affinia concreta et fixiora hujus virulentae ſocietatis, ſimiliter et funditus Acheruntica.

160.

ET vero mire actuoſum, volatile, fugax, communicativum eſt omne venenum principio tenui,

(*) Je penſe de bonne foi que ce n'eſt qu'en ſe confor mant à la nature, après l'avoir bien conſultée, que la geometrie acquiert le droit de s'élever jusqu'à la phiſique du corps humain.

tenui, aſperrimo donatum: mirum ſane quam efficiat id, quod incubuit ejus natura? rapidiſſime, ita ut videat nemo, ſigillum ſuum corporibus imprimit; per apicem acutiſſimum, acceptum prius motum violenter applicat, movet, turbat, inflammat omnia. Sic eſt character ejus, ſic eſſentia, ut unionem, amicitiam ſolidorum et fluidorum perturbet, niſus in contactum ſolvat, et vitale principium ſupremo jure laedat. Naturae hoc inimicum, omnis dilacerationis et ſeparationis cauſa, nec indoli ſuae, nec homini parcet, dummodo malitia perficiatur.

161.

Sapienter igitur, vt ſolet, Artis Apollo *Boërrhavius*, venenum dicit, illud omne, quod ingeſtum vel applicatum corpori, talem in corpore mutationem excitat, quae per ipſam eam mutationem non ſuperatur, ſed ſic corpus immutat, ut ex ſano fiat cadaver.

162.

Omne venenum vel naturale eſt, vel factitium: utrumque vel pleno incedit gradu et veſtigio letiferum, vel lentius ingreditur et velat ſua vitia. Decipit quidem prima frons hujus veneni, ſed indoli conſtans, ſemper tenax, nunquam iners, humores inimicat. Sic mortem ſeminibus occultis ſerit, deſpiciendo bonas naturae vires, quas ſubruit tandem.

163.

163.

Insuper venena omnia vel alcalina, ſeptica, putrida ſunt; vel acida, ſtyptica, corroſiva; vel tandem narcotica vaporoſa.

164.

Sed quae ſolum diſcrepant natura, de ceteris mirifice congruunt: ratum indolis et conjunctionis punctum habent. Omnia namque virulenta ſive ingeſta, ſive applicata vivis animantium corporibus, quantumvis exigua copia, eo ferocitatis veniunt, ut brevi intendant ſe adverſaria in nervos, quos certiſſime dilaniant.

165.

Venenorum naturalium fontes ſi quaeras, adi myaſmatum, exhalationum origines. Factitia comparat, dat, praebet ars Chemica.

166.

Septica, putrida venena conſtant ex alcali admodum volatili, conjunctum habens principium ſulphureum phlogiſtici nomine inſignitum. Hoc pariter volatile, ſimiliter penetrat.

167.

Est autem ſepticum hoc congeries ſpherica partium hiſpidarum. Unde corroſivus et urens ſapor, potentia calida diſſolvens, motus celerrimus huic figurae proprius. Exinde haec ſpherula aculeis circumquaque armata, palatum, nerveas linguae papillas limae adinſtar abradit,

per ſe, vel igne leniſſimo celeriter avolat et late diffunditur.

168.

Candidus, ſapiens in augurando, et genere toto Excellentiſſimus *Geoffroi*, quaſi vivos duxit horum ſalium vultus, opera ſit auribus. . . .

„ Hae ſpherulae aculeis veluti totidem
„ pinnis armatae, majorem pro ſua mole ſuper-
„ ficiem igneo principio offerunt, ac proinde
„ ipſius motui facile cedunt. Plures acidae partes
„ uni terrae moleculae occurrentes, eam unde-
„ quaque aggrediuntur, et in ejus poros alte
„ penetrant, tumque moleculam conſtituunt,
„ cujus centrum denſum eſt ac firmum, ex quo
„ ſpiculorum acidorum portio quaedam prominet,
„ et echinatam ſuperficiem efficit. Hyſpidi autem
„ illi globuli agglomerati, quam plures inter
„ ſe poros relinquunt, quibus aqueae, terreae,
„ ſulphureae et acidae moleculae recipiuntur et
„ abſorbentur.

169.

Hoc alcalinum acre, principium ſulphureum conjunctum habet: ignis autem ille fluens, inflammabilitatis, dilatationis et liquiditatis eſſentiale principium eſt, ut et corporum omnium motor et diſſolutor. In omnibus enim et ſingulis ineſt, ſed in quibus plus abundat, ea citius faciliusque putreſiunt et vice verſa.

170.

170.

In Chemia adjumento eſt ad fuſionem phlogiſticum valde fugax et actuoſum. In motum actum, ex quolibet centro ſtatim erumpit, deſerit facile corpus, et rapidiſſime in alterum transfunditur. Sopitum, diſſociatum, ſic fixius, intra corpora deliteſcit et horum pars eſt.

171.

Phlogisticum nunquam ſolitarium et ſincerum in aëra tollitur: avolando, deferendo corpus, quas conjunctas habet ſalinas corporis partes, ſecum rapit ſemper.

172.

Vis venenata ſeptica haerens in aëre, effluvium morbificum, contagioſum myaſma; omne fermentum ſubputridum, lues, virus, omnis malignitas, quidpiam ignotum arcana et ſimili lege productum, divinum ſiderans Hyppocratis, totidem ſunt cognata tecta hujus acris velociſſimi, quae inſita vi et efficaci ſtimulo, nativam, blandam, homogeneam humorum indolem et craſin, in acrem, ſimiliter putridam immutant. Venena igitur penetrantioris indolis in regno animali hoſpitantur. Alcalina venena.

173.

Homines, quadrupedes, animalia carnivora calidioris naturae, ad iracundiam prona; aves annoſae, aquaticae rapaces, piſces;

alcalescentes plantae, umbellatae, labiatae, cruciformes, vera hominum cruciamenta, hoc sale turgent, et cornu maligno profundunt eorum corpora putrefactione resoluta: ex insectis, viperae, scorpiones, tarantulae, aranearum species multo hoc sale potentes, morsu, ictu, punctiuncula inserunt illud, inoculant.

174.

Mirari igitur non subit, si quadrupedes, lupi, canes, feles, vulpes, simiae, equi, asini, muli, boves, sues, galli gallinacei, ut homines, putridissimis morbis tententur, et spontaneam rabiem contrahant: haud mirum, si cantharides, quae volatili sale, caustico, acri, penetrantissimo valent, vesicantes sint, violenter inflamment. Ejusmodi vipera, scorpio, seps Africa, teterrima Plinii, furorem, horrenda symptomata, putrefactionem totius panniculi adiposi inducant.

175.

Vitae genus, natale solum, locus calidior, tempus ardentissimum, ira vehemens, valentiora venena reddunt, sicque causam intensitatis et energiae venenorum aperte contrahunt.

176.

Horum adinstar maximam veneni vim obtinent Cicuta vera, Napellus sive Aconitum caeruleum, Solanum furiosum, Hyosciamus ac Datura, Helleborus, Ranunculi, Quaedam Fungorum species etc.

177.

177.

VENENA acida et praesertim hujus familiae fixiora, densis, rigidis, aculeatis, fusiformibus partibus donantur. Cuneorum instar poros subire, dirimere partes, corrodere, et mixtorum dissolutionem promovere possunt, sed ceteris paribus, longe quidem minus, quam venena alcalina. Priora aciem habent, sed ubi ictus unus, ibidem vulnus unum. Posteriora autem mille, spherica sunt et hispida simul. Acida venena.

178.

PUNCTA coacta, directe in longitndinem producta, lineam rectam dixit Geometres: quid non ita Medicus salium figuram statueret, praesertim ex analogia? Jus par utrique, usurpemus, quod nostrum est.

179.

MOLECULAE terreae plures simul, sibi invicem agglutinatae, ignis vi, aquae beneficio, naturae forciculis, utrimque fusorum adinstar acuminatae et scissae, naturalem acidorum formam et speciem praebent: sapor non abradens, ut sal acris, sed linguam et palatum pungens, acidorum acumen sufficienter probat. Sed insuper, acida omnia sibi relicta, in crystallos concrescentia, mucronatam, ensiformem figuram induunt, affectant, ut et omnes diversarum materierum dissolutiones, ab his oriundae.

180.

180.

Diversa eſt acidorum natura, figura, indoles, pro varia elementorum componentium diſpoſitione, unione, configuratione. Diverſa igitur venena compoſita de acidorum gremio exeunt, conſiſtentia, tenuitate, malitia, inter ſe diſcrepantia. Haec tamen ad tres claſſes reduci poſſunt, ad acidum nitroſum, muriaticum et vitriolicum.

181.

Densitas, rigiditas ſeu acumen plus minusve ſubtile, ſcindens, penetrans, plus minusve obtuſum et fixum, veneni acidi volatilis, fixi, ſtyptici et corroſivi rationes ſuggerit.

182.

Indolis hujus volatilia ſunt, ſal volatile ſuccini, florum Benzoini, ſpiritus nitri et ſalis, ſpiritus ſulphurei, volatiles, vitriolici etc. Hi omnes ſumme diſſipabiles et fugaciſſimi, facile reſolvuntur, avolant, evaneſcunt; mortem et gangraenam habent in ſinu, diſſeminant, circumgeſtant aut introferunt. Tactus namque his, ex dolore in concremationem efferatus eſt.

183.

In hac tragedia, ſuas quoque partes habet et princeps eſt phlogiſticum. Quomodo? Videbimus breui. Principium ſulphureum et acidum vitriolicum omni phlegmate orba, per ſe

ſe mutuo combinata, ſulphuris eſſentiam conſtituunt. Egregium enim ex tartaro vitriolato ſulphur, et ex ſulphure tartar vitriolatum artificioſe conficitur. Modum ſi quaeras? ecce: retribuas uni expoliatum phlogiſticum, alteri patrimonium abripias; ex tartaro ſulphur, ex ſulphure tartarum exſurget.

184.

NATIVUM, ſincerum eſt aureum ſulphur, ſed non ſemper unicolor: variegatur, cum ex mixtionum temperaturis compoſitum perficitur. Cum terra calcaria aut alumine concorporatum, album eſt et lacteum ſulphur; viride, herbidum eſt cyprii aëris dives; fuſcum, ſubnigrum, ſibi terreſtre bitumen adjungit; rubrum autem ſulphuris et arſenici concretio eſt. Hinc ſpecies veneni ſulphuroſi diverſae, quae valde flagrantes, acerrimas et penetratiſſimas partes habent et fundunt. Putei ſubteranei, ignes volatiles, Veſuvii noti, quaſi totidem ſunt harum materierum inflammabilium officinae, receptacula, matrices, dictum ſulphur pernicioſe eructantes. Sulphur metallicum, bituminoſum, a ſulphureo principio quod in regno animali et vegetabili obſervatur, non diſcrepat.

185.

SULPHUR, vitriolum, alumen, mineralem formam affectant in pyrritibus, perſaepe ſunt

in

in iis haec tria conjuncta, sed uno et eodem acido donata. Hoc illorum sapor indicat. In sale petrae, in nitro, copulatum est acidum cum alcali. Exinde forsan ardores sedat nitrum et humores solvit. In vitriolo substantiam metallicam adjunctam habet acidum. Exinde septicum, causticum est. Terram absorbentem sibi adoptans, sequitur adstringens, alumen dictum.

186.

Dicta acida, nitrosa, muriatica, vitriolica, ut et omnia hujus familiae dissolventia chemica, acerrima sunt et corrosiva valde: nec tamen sine ullo delectu corpora omnia dissolvunt: in plumbo vestigium suum, et indolem exprimit acetum in pulverem resolvens illud; aquarum autem stygiarum acrimonia nulla in plumbo est. Sed aceto non divisus mercurius, aqua stygia in globulos pene infinitos partitur: sic aqua regalis aurum intime penetrando, solvit; huic autem negotio impar est aqua fortis, quae reverens aurum, argento non parcet.

187.

Nativorum notorumque vitriolorum compositio unum et singulare tenet acidum, quod vicissim sibi adjungit unam aut plures simul substantias metallicas. Haec modo ferrea, Cypria interdum, Zincea alias, basis, acidi condimen-

dimentum est. Acidum hoc Zincum adhibens pro primario et praecipuo fundamento, salem neutrum metalicum format, vitriolum album, certa dosi, aleae plenum. Albo violentius est viride, styptica et emetica vi potentiori donatum: acidum ejus cum cupro et ferri minera affinitate se devincit. Ex toto virulentum est caeruleum, quasi aeris efflorescentia: et si inexpertus haberet haec dubia, paucis auscultet. Spiritus vitrioli limaturae martis affusus dat, praebet optimum vitriolum viride: si laminae cupri cum sulphure stratificentur et calcinentur, si massa superstes per aliquod tempus ebullierit in aqua dein exhalata, post exhalationem habebit genuinum caeruleum vitriolum. Sulphur vitriolicum grave olens, foetidum, ejus sapor acerbus et stypticus, exitiosam vim satis superque manifestant. Et porro praeter omnes, quas habet acidorum proprietates, ejus solutio lac et sanguinem superius cogit.

188.

Alumen nativum odorem emittens, qualem aqua fortis spirat, suam decelat indolem. Factitium autem cum fratre suo, vitriolo scilicet, de communi indole et de ceteris mirifice convenit.

189.

Cuprum flavescens, purpureum aut violaceum, formam metallicam sulphuri et arsenico

nico debens, argentum quoque, ferrum et plumbum habens adjuncta, quasi venenorum congeries est. Vitriolum tamen lubentius complectitur, et hujus compositi argumentum est. Sed in statu minerae, a noxiis vitriolicis liber est.

Omnes cupri solutiones ab acido quocumque valentissimum venenum praebent; sed has vincit adhuc mordax ejus aerugo, funestissimis ominibus agens, veri caustici et constringentis veneni naturam aemulans; itidem inclementissime exedit corpus ac picturam.

190.

Plumbum minus saepe genuinum, ex phlogistico cum terra vitrificabili calcosa, seu foliacea, copulato constat: praeter sulphur et arsenicum, interdum quoque mercurium inter collegas accipit: ejus limatura in candelae flamma injecta, incenditur; flammamque caeruleo colore tingit. Unde patet combustibile sulphur. Plumbei fumi seu flores ejus metallici, lythargiria omnia, cerusae etc. nervos graviter offendunt: horum delicta indicabimus, ubi tempus veniet. Plumbum candidum, stannus, pars plumbi purior ac nitidior, a delictis paternis non degener, similes quoque producit effectus.

191.

Mineralia omnia salium additione, vel spiritibus acidis soluta, virulentam et corrosi-

vam

vam naturam plane ac exacte induunt, adeo ut, quo magis fuerunt ab acidis ſoluta et concentrata, eo potentius venenum fiant. Tota igitur venenorum acidorum actio pendet in metallis ab acido plus minusve concetrato. Hinc corroſivitas in acierum acumine poſita eſt. Metalla namque plura per ſe ipſa innocua ſunt; cum acidis vero in tetra venena abeunt, uti argentum totum mite, cum ſpiritu nitri, in lapidem infernalem abit, qui admotus humano corpori, omnia ad oſſa usque erodit. Mercurius vivus et currens omnis virulentiae expers, fit mortis exactor, ubi primum larga acidi marini concentrati copia exſaturatur. Hoc ſublimatum cuſpidatim deciſum magis actuoſum eſt, quam arſenicum: corroſivorum more lancinat, erodente vi univerſum ſyſtema nervoſum in ſpaſticas ſtricturas conjicit, et mortem parat cauſtica acrimonia. Ingeſtum enim aut applicatum, omnia, quae tangit, diſſecat.

192.

Arsenicum album neque acidum ſal, neque alcali, neque neutrum eſt: hoc, ſimiliter ac ejus cognata, arſenicum rubrum, flavum, auripigmentum et Realgar, merum eſt artis productum. Arſenicum ex variis mineralibus ſubſtantiis procedit et accipitur: arſenicales pyrites, minerae ſtanni et argenti rubri, colbat

Germanorum, Toxicum hoc libenter tradunt, leniſſimo calore avolat, evaneſcit vel reſolvitur in pulverem ſubtilem albiſſimum, corroſivitate inſignem. Tractim arſenicum tactum, aſperius confricatum, ingratum et moleſtiſſimum Allii odorem late profundit; cum ſulphure communi facilem init ſocietatem. Colbatum, uberrima arſenici minera, in venis ſubterraneis Myſniae reperitur: vi erodente tanta pollet, ut inſectae, bruta et homines temerario auſu accedentes deſtruat, enecet. Haud igitur mirari ſubit, ſi nudas Foſſorum manus et pedes ſaepiſſime exulceret.

193.

Arsenicum lentius et difficilius ſolvitur, quam ſublimatum corroſivum: quamvis enim arrideat illi ſulphur et libenter amplectatur illud, non reſolvitur tamen in oleo, nec deflagrat, ut auripigmentum et Realgar. Cum genuinum eſt Arſenicum, aqua ſolvitur; conjunctum habens ſulphur, fit inſolubile. Hanc ob cauſam auripigmentum, Arſenicum flavum et rubrum, quae multo ſulphure gaudent, in aqua non disjunguntur; neque protracta ebullitio horum vim enervare valet. Haec quoque Toxica, tenacitate, vehementia, et celeritate nocendi, album exſuperant Arſenicum.

194.

Ex praelibatis conſtanti experientiae conſonis, quaſi ſacrum naſcitur Corrolarium: Venena et Toxica omnia nervorum inimiciſſima ſunt; minima doſi, elementari quaſi mole necant: minus horum conſcia neque indoli ſuae, neque humano corpori parcunt, quin malitia ad ſummum provecta exſatietur: haec autem periodus, complementum hoc, gangraena, ſphacelus, mors eſt. Ergo uſus venenorum internus nusquam licitus, neque optimo etiam animo faciendus: ſpes inanis boni fictitii in conſilio verſari, aut cum periculo certo comparari nequit. Anathema ſit igitur, qui extrema haec tentat et experitur! Ratio aequa judicii lance perponderans omnia, eum tanquam inconſiderantiſſimae temeritatis plenum intuitur, eum ut ferocem abdicat humanitas, eum furiis devovet Religio! Ex capite civis proſcriptio nunquam ferenda: animas negotiari non citra piaculum licet. (*) Externe quidem venena poſſunt adminiſtrari, ſed numquam ſatis caute! Semper namque conſummatum

 requi-

(*) On ſentira bien qu'en proſcriuant généralement l'uſage Interne des poiſons reconnus pour tels, que cette régle ſouffre quelques exceptions, qui heureuſement, ne ſont pas nombreuſes: Il n'eſt permis de preſcrire un poiſon, que dans le cas ou il feroit abſolument néceſſaire pour détruire l'effet d'un autre poiſon pris antérieurement. Voiez la ſection 260.

requirunt et exigunt hominem. Non is autem ego: ſed vidi, vidi multa, et adhuc perfundor horrore! Teſtimonio credite, Tyrones! incautus male docet. Nimium audax praecipitat ſe. Praecauto igitur opus eſt.

Venenorum Peregrinatio, Contagium.

195.

Sol in Terrena transfundens Coeli defluvia, naturam accendit, foecunditatem et vitalitatem importat, Infundit ubique: at benignus ille nomina tamen exigit et multum irrogat de terra; reſorbet enim et deducit per aëris tractus fulminis materiam, Procellas et Tempeſtates, quae vaſtitatem efficiunt et deſolationem important Orbi. Sic dextro ſidere Homines editi, Elementorum beneficio creſcunt quidem, vivunt, reficiuntur. Sed qui ſpiritu ductus alit Aër, aut qui vitae et ſanitati patrocinatur Cibus, converſus, vitiatus, putridus, dictis Procellis periculoſior eſt. Si Coelum colligit iram et fulminat, e veſtigio clemens arridet Bono, motusque componit. Immiſericors autem venenum eſt, perniciem Hominis indeſinenter molitur. Si quandoque vitale principium noſtrum impetu repentino, quaſi inſtinctu, in ſalutem noſtram omni ope nititur; ſi, inquam, victricis Naturae conamen

agere

agere membris venenum tentatur; brevis est admodum de malevolentia Triumphus. Arcem si perdit hostis ferox, centum mox invadet. Perspiratio, fumans umbra, Transfugam exprimens, multiplicata mortis seminia diffundet. Hoc veneni iter, progressio et propagatio, Contagium audit, vix aliter, quam contactu diffusissimum: confluit in obvios quosque Athmosphaeram communem, Commercium habentes cum aegrotantibus virulentisque Substantiis.

196.

Qui temerario ausu se huic objiciunt, effluvia morbifica, putridas exhalationes, halitus venenatos, sub roris forma per aërem suscipiunt, resorbent, inspirant, in viscera demittunt.

197.

Lues omnis sive acida, sive septica, vel spontanea, intus generatur, vel forinsecus accedit ab aegris, qui eam exhalant. Morbidus ergo et venenatus Aër intellectum habet et denuntiat praecise fluidum per se aut per accidens adulteratum, alienis, virulentisque Substantiis gravatum.

198.

Venena omnia vel contactu afficiunt, vel non nisi tactu noxam pernicialem inferrunt. Priora commercio transferri possunt; posteriora vero Consortiis tantum modo contrahuntur. Sed

antequam argumentum hoc via certa et ratione tractetur, primarii contagii fontes aperire, utile duco. Recalcanda igitur via eſt: primum hoc dicent nobis Archiva Mundi. Aperiamus!

199.

QUAM diu Naturae fidelis Homo, quam diu ſimplex, ut illa dignitatem non ſpoliaverit, tam diu ſanum Corpus et laetus in praeſens Animus, non appetierunt, quod ultra eſt. Verae Copiae, ſola neceſſitas modus erat et terminus Deſideriorum, ſic et Votorum Summa. Aſt proh dolor! ſaltem ephemera fuit, ſi non ficta haec Foelicitas! Brevi multa pervoluit Homo; multa deſunt multa petenti! Valete Frugalitas, Simplicitas, ſummum Bonum. Qui modo tellure pauca contentus erat, jam anguſtiorem concepit arvum, avidiusque dominium explicavit et produxit ultro: ſed unquam ne ſatis habet? unde exſatietur cupiditas, Modum Deſideriis opponebat Aqua, et trans Flumen Continentem vidit ambitioſus. Similem trans mare conjectans, ſe cum reputando magis urit: quid faciet? Aeſtus maritimi accedentes et recedentes ſollicitant illum: Maris reverſio momentum diſceſſus indicat. Arborum termites, natantes juncos viderat, horum copiam facit, ratem ordinat. Cerniculo tantum a morte diſtabit, quid refert? Curſum non reprimit

audax.

audax. Ratiarius factus, fe credit ventis; mare fecat Gubernator, quo deftinet curfum nefciens. Poffeffor Aquilo huc et illuc fragilem ratem convertit! Quid ad illum? nec labores fummi, nec procellae, ambitiofum perturbant: fic infefto mari ac ventis injuriofis fertur. Emergit tamen, appellitur navis ad ignotam, fed optatam Terram. Exultat Remex; mea es, inquit, quaefivi diu, invenio tandem, te adipifcor. Quid ibidem fiet? Ecce. Dives agris, pecorum abundans, inanibus copiis tumens, derepente corripitur veneno ignoto. Utinam fuiffet piaculi holocauftum! Sed heu! lentum venenum, Chronicus morbus erat. Lente confumptus ab illo formidare incipit, defiderat Penates, iterum fe immittit mari, et ad huc parcunt illi Fluctus! falva Nave, fed Corpore fracto, ad Portum appellit. Omnes fubito occurrunt illi. Copias jactitat Pyrata, venenum tacet, et quod commercium, quod tenuis ex eo prodiens vapor et exhalatio non inficient; brevi fpolia difperfa fufcipient, et mirifice propagando abfolvent. Eft autem veri contagii fpecies Exemplum malum! Hoc Aemulos fecit, qui accelerando gradus, Orbem unde-quaque agreffi fuerunt. Sic notus Orbis et delineatus, non latuit ultro; evifcerata tellus Metalla indicavit; Tortores ejus, ratione puerili, eminentiora antehabuerunt.

Aurum, Argentum, lucem Smaragdi, Carbunculos etc. avidius compararunt. Sed heu! cum venenis incauti pacti ſunt! Venenum vel in Aëre, vel in Minera latebat, et poenas mox luit violatio! Perpauci emerſerunt, qui gradum recalcando, venena certis tantum regionibus quaſi Indigenas, Coſmopolitas donarunt Orbi.

200.

Hoc fonte derivata clades in Populos fluxit: hac vel ſimili via, variae peſtilentiarum et malignarum febrium ſpecies, variolae, morbili, dyſſenteria maligna, lues, lepra, elephanthiaſis, ſcabies, ulcera mali moris, aliique infenſiſſimi morbi, Populorum vaſtatores. Sic capti, recepti, transmiſſi ex ſuo natali Solo ad ceteras fere omnes Terrarum Partes, modis indoli ſuae convenientibus, translati et diſſeminati fuerunt.

201.

Hoc morbi ſeminium forinſecus accedens, ex aegris exhalans, periculi plenum eſt; Homines ſanos ſimili morbo afficit; fermentativam, ſepticam indolem habet, et Myaſma vocatur. In ſuccos lymphaticos ejusdem fere indolis maxime et praecipue agit, humidum amat, libentiſſime ſeſe apponit illi, et ſeminum more, rebus ex molliori materia conſtantibus, ut Xylino, Lana, Serico et veſtimentis inde contextis

ſeſe

ſeſe inſinuit, ibique incluſum diu haerere poteſt absque virium deperditione.

202.

Myasma humidum amat, in eo namque quaſi figitur aut irretitur. Si Aër primum ejus Elementum, genuinum quoque vehiculum ejus mador aut perſpiratio eſt. Haud igitur mirari ſubit, ſi Lues in ſuccos lymphaticos maxime et praecipue agat. Purpureus liquor, ſulphurea mixtio plus reſiſtit putrefactioni, quam ſpirituoſa et lymphatica portio ſalibus dives et potens. Hanc ob cauſam haec longe citius, in vapeſcentiam quamdam ulceroſam, ſeu corruptionem ſalſoſulphuream, acrem et cauſticam degenerat. Licet enim putredo ſulphurea eminentioris foetoris ſit, quam lymphatica, minus tamen contagioſa eſt. Craſſiori et rudioris texturae indolem habet, et conſequenter illa minus periculi plena. Exinde Febres omnes acutae, quae ex ſanguinis ſtazi inflammatoria fiunt, ut et morbi chronici, qui ex viſcerum corruptione naſcuntur, a contagio ſunt immunes.

203.

Exinde quoque progreſſus, multiplicatio ſeptici veneni longe facilior et diffuſior eſt, quam diſſeminatio et propagatio acidi aut aceſcentis veneni. Ultimum hoc craſſiores et graviores particulas habens, magis fixas et con-

cretas, naturam ſalinam corroſivi compacti participat. Sic effectus ejus cum effectibus aquarum ſtygiarum vulgarium conſonant, vel ſaltem ab illis longius non removentur. Hujus fermenti particulae, tenuitate, mobilitate, ſic et penetrabilitate alterius orbae, late vel proxime diffunduntur numquam, niſi prius rareſiant auxiliatricis caloris beneficio. Et vero ad hoc non ſatis eſt rarefactio ſola: ex parte corporis accipientis adhuc requiritur textura rara, mollis, humida, ut et applicatio, contactus, nulla re intercedente ſatis diu perſeverans. Hoc manifeſtat venerea lues, etc.

204.

Ubi conditionum complementum adeſt, applicatum virus, ad focum ſedens, mirabiliter vice fungitur. In hoſpites corporis Plagas primum, aut ſaltem prope ab his violentiam ſuam adhibet. Mox ſaevior factus, ferocius inſtat. Veniunt illi obviae molliores ſuperficies perpetuo madentes rore tepido. Hujus vehiculi beneficio eas optato ſubit. Sic calore loci, et attritu, ſubtilior facta lues altius penetrat; ſicque corporis Peripheriam deſerens, bibulis reſorbetur venis. Arteriae namque ingreſſuris corporibus magis reſiſtunt.

205.

205.

Venenum omne et in primis alcalinum, exigua quamvis copia acceptum, ſeptico agit more, fit affluens, et conſtanter multiplicatur. Ad rem namque ſatis eſt evolutio et diſtributio ſpiculorum ejus corroſivorum. Non enim quieſcit unquam virus malignum; ſed aſſidue et ſenſim vires ſuas exerit. Oſcillatorio et perenni motu indeſinenter agitatum, ſuccis ſponte ad putredinem pronis adjutum, fit magis ac magis acre, et ex acri corroſivum. Sic augetur, viribus creſcit, et ſtyrpem propagat lues ſenſim et obſcure ſerpens: brevi multos, ſi non omnes ſimul, afficiet labe. Sic exoriuntur Morbi populares, epidemici, ab oculto aëris ſtatu, a cauſa ſeptica multis hominibus communi.

206.

In corporibus et ſubſtantiis etiam inanimatis conſtans et certum eſt hoc contagium: putreſcens aut putridum pomum, vicinum citiſſime corrumpit: horum utrumque lateralia quaequae proxima: haec totam vicinitatem. Sic viciſſim, gradatim, et infinite contagium ſerpet, donec tandem integra congeries totusque Acervus infeſtus putreat. Ergo contagium in certa tantum diſtantia virulentiam ſuam transmittere poteſt. Ergo certa corporum diſpoſitio neceſſario requiritur, ut veri veneni naturam aemuletur,

letur, et consequenter vis Myasmatis non est absoluta. Sed in eo detererior ejus natura aliis venenis est, quod se commiscendo cum succis fermentescentibus, multiplicet, hostiliter vicina corpora invadat, et id celeriter exequatur.

207.

Ut autem efficacissime laedat Myasma et veri septici munus compleat, causa inhaerens seu praedispositio sanguinis et humorum corporis admittentis necessario requiritur. Sic exigua quantitas vulgaris fermenti, seu farinae aqua subactae, viginti et ultra Tritici contriti libras in fermentum simile conjicit, dum ab eodem non tumescit viscosa Milii aut Secalis farina. Idem de spuma Cerevisiae dicendum. Plurimum enim valet et agit in decoctum Hordei, sed in Lentis decoctum minime. Exhinc Corpora humida, alba, carne repleta, ad variolas vergentiam habent: macilenta vero, biliosa, calida, magis prona sunt ad morbillos et febres exanthematicas quam ad variolas. Si tamen his corripiantur, papulae vel paucae numero sunt discretae; vel pravae admodum, enormes, siccae, fallaces, cum putrefactione et absque maturatione. Vis igitur, energia, impetus, activitas, et immutandi potentia cujuscumque veneni, minus aestimari debent ratione quantitatis transmissae quam qualitatis. Et ubi qualitas et fluidorum conditio con-

curruns

currunt una, resultat tertium quid virulentissimum et vehemens in utramque partem. Venenata vi mox totum replebitur corpus, et exinde calamitas premens atrocissima.

208.

Praeter hanc aptitudinem seu dispositionem Subjectorum, a causis quoque externis, variisque circumstantiis adhuc munimenta accipit virus et terribiles acquirit vires: pestiferi seminis natura plus minusve saevit, prout Aetas, Regio, Anni tempus, Aëris ambientis conditio et status cum morbo conspirant et auxiliatrices illi praebent manus. Si pestis oriatur, senes pituitosi, ex acido magis praedominanti et vapescentia sanguinis, non inde moriuntur, sed flos juventutis. Juvenilis aetas vergit namque ad putredinem. Sic juvenes, peste, omnibusque morbis putridis difficilius sanantur, quam Senes. Morbus in vegetos ferocior, citius eos quasi rebelles conficit. Senes ex lue venerea ad sanitatem difficilius revocantur, quam juvenes. In genere, eo saevior semper futura lues, quo difficilius sub Coelo frigidiori curationem recipiunt inflammationes et ulcera.

209.

Ex praelibatis, lues omnis contagiosa aliunde in nos serpit forinsecus accedens, et ad propagationem ejus medium efficax aër est, eo

nam-

namque velut curru vehitur. Vehiculum autem hommogeneum amat myaſma; appetenti favent poroſae partes perſpiratione madentes, et in iisdem ſedem infigit illud, tuitur ac ſuſtentatur. Hoc modo reſorbetur et contrahitur. At non omnis virulentia adhunc preciſe modum diſſeminatur et intromittitur: et porro, ſic intromiſſa aliquando ſui judicium non facit. Flavum viperae venenum ſparſum, inſpiratum, deglutitum, non habet aliquid offenſionis, vice ſeptica non fungitur quod minima copia inflictum venis, certiſſime necat. Frangitur autem illud miſcela, vi et actione ſuccorum ſtomachalium. (*) Plura ſunt venena, morbique plurimi qui non niſi tactu ipſo noxam inferre ſolent, qui Conſortiis, Lacte, Suctu, Oſculis intimis tantum modo ſunt exitioſi: per Contactum autem aut per unum Aſperges, ut lepide jocans Fallopius narrat de umbratilis pietatis ſimulatrice, per raro admodum

(*) L'eſprit de Vitriol n'eſt pas mortel quand on le prend par la bouche; néantmoins ſi l'on en ſeringue une pareille portion dans les veines, l'animal tombe auſſitôt en convulſion et meurt. Les parties acides de l'eſprit de vitriol pris par la bouche ſont affaiblies avant que de paſſer dans le ſang, par le melange qui s'y fait dela ſalive et des differens ſucs propres aux organes Enſorte qu'il ne leur reſte tout au plusque ce qu'il faut de vertu pour rafraichir. Il en eſt de même du venin de la Vipere pris par la bouche.

dum et potius numquam. Ita pariter eximiae habendae ſunt Pſora, Scabies, Variolae inſitivae, quae omnes ſanie, pure, puſtulis, Turcarum vel Sinenſium more, inoculantur et voluntario concipiuntur.

210.

Alia quoque venena ſunt, quae ex hominibus et animantibus vi morbi repletis in ſani venas transfundi debent ut virulentiam ſuam manifeſtent, ut diſſolvant aut concreſcant ſanguinem in materiem, vel nulla arte concreſcibilem, vel in maſſam inflammatoriam, aqua, oleo, ſalinoque menſtruo inſolubilem. De proximo hoc genere ſunt Hydrophobia, Vipera, Scorpio, Tarentula, Reptilia multa, Inſecta varia, quorum morſus, punctiuncula, exitiales ſunt. Haec venena prorſus inertia jacerent, niſi hoc agendi modo poteſtas ad necem perduceretur. Sed ſimul ac venis, fibrisque nerveis inſinuuntur, diſperguntur per univerſum ſyſthema nervoſum, et exinde hoſtilis ſpaſmus univerſalis, omnes corporis partes eminenter in conſenſum trahens.

211.

Observandum eſt, quod venena, exigua quamvis copia, intra cutim admiſſa plus longe noceant, quam doſi majori intus ſumpta: ſuccus hellebori albi deglutitus non ſtatim interficit: tela autem palaeſtrica dicta, eo, vel ſucco Napelli,

vel

vel linimento ex ſucco citri et arſenico parato, illita et infecta citiſſime necant. Exhinc maxime exitioſa ſunt vulnera, quae ſagittis, ſpiculis venabulis, plumbeis glandibus, hoc modo infliguntur. Haud igitur mirari ſubit ſi feri et agreſtes homines ut Incolae Inſularum Bantham et alii bene multi, ſtatim praeſentiſſimum venenum inficiant. Venenum tale Rex Indus poſſidebat, cujus inſigne experimentum edidit, ut Hiſpanis demonſtraret quam periculoſus hoſtis eſſe poteſt: ſaniſſimo juveni extremum pedis digitum ſagitta leviſſime laeſit, juſſit praeſentes chirurgos tibiam continuo ad genu amputare, et demonſtravit Legatis, non ideo venenum domitum eſſe, cum miſerrimum continuo expirari viderent.

212.

Sed hic res nodoſa et intricata videtur: qui fit ut venenum activae et penetrantis indolis (*) etiam intra cutim admiſſum quandoque diu absque noxa gravi ibidem inſideat, et elapſo demum tempore in actum ducatur? quo modo accidit, dum cauſa peſtilentialis per aëra vagatur omnibus communis, ut plures ex ea intacti, aut tacti, feliciter emergant? ecce: licet rabies,

V.

(*) *Coelius Aurelianus* notatu dignum memoratur exemplum ſartricis cujusdam quae in veſtimentis a cane rabido dilaceratis, reparandis occupatae, admoto prius ore ſiſum praemordens, rabiem contraxit.

V. g. per morſum, vulnus, ſalivam, lac, limpham etc. facile transmittatur, nihilominus tamen virulenta haec materies accepta ſilere diu, et ultra fixum evolutionis ſuae punctum prorogari poteſt. Segnis namque, torpida, phlegmatica natura longe diutius luem complecti et intercludere valet, quam conſtitutio oppoſita. Adde quod, per morſum dilaceratae fibrae criſpantur et in ſe invicem coëunt. Unde renitens quidam tumor, in quo lues quaſi incarcerata ad tempus detinetur. Hic quoque juvat concurſus muci tenacioris ex ſauciatis fibris ſtillantis. Hujus beneficio lues ſubtilis licet, quaſi figitur; reconditur quaſi acies in vagina, donec tandem a compedibus libera, ſui juris facta, in partes nervoſas et in ſanguinem ſaevire incipiat. Quoad Peſtem et morbos Epidemicos, reſpondeo, ſummam brevem eſſe eorum, qui a contagio populariter graſſanti immunes ſint. Quod ſi tamen in peſte, in omnibusque Epidemiis feliciſſimus quis, aut plures, quod raro, vel contagium vitent, vel Tacti ſolius naturae beneficio vincant, in Fortuna non poſita ſalus eſt, aliunde Immunitas? 1. Numquam omnino corruptus aut vitiatus aër eſt; non enim ita ſemper excedunt peſtifera Myaſmata ut tota aëris moles coinquinetur. Sed hinc et inde quaſi fumus diſperguntur et faceſcunt. 2. Nec omnia indiſcriminatim

corpora, ut jam vidimus, veneno, luei, obnoxia ſunt: iis tantum nocua lues eſt, quorum ſolidae et fluidae partes ad labem ſuſcipiendam aptae ſunt et habiles: alia ſit harum indoles et diſpoſitio, imminenti myaſmatum contagio, feliciter adverſabitur illa et obſiſtet. Ergo vel non permittit orificiorum cutis ratio, vel ſanguis et humores corruptioni adverſi, eunt contrarii veneno. Sic pugnantem indolem habent; ſic actionem fermenti retundunt, et ſalia hebetant; ſic domatur ſal vel acidum vel alkalinum; et ſic tandem neutrum evadens redditur iners, ſi jam a primo ſuſceptionis initio extinctum non fuerit.

Vis, Actio, Ferocitas Venenorum.

213.

VENENIS momento ſuo ponderatis, fert, jubet ordo, et urget paſſim, ut adhuc conſequemur veſtigiis illa. Reſtat igitur nobis acies trajicienda, ut omnes progreſſus evolutionis eorum aſſignare poſſimus. Effectuum examen, exploratio, notitia, certius, ſi non penitus, cauſas indicant, comparant, attingunt. Stupenda eſt Venenorum Vis, Actio, Ferocitas! Ut autem rediviva ſit eorum Imago, quantus hic color graphico Pictori! Quanta venenorum Frons! quanti Repercuſſus! in rerum natura, Omne vel

cauſa

causa est vel effectus: sed res una, quaelibet ratio efficiens effectum unum aut certa tantum procreat Phoenomena: in venenis aliter: minimum virus et veneni Elementum captum, transmissum, deglutitum, in stomacho adhuc integrum, quasi effectuum et causarum omnium Congeries est; Phoenomena fere omnia suscitat, complectitur, totumque corporis Imperium redit ad illud.

Ubi namque virus vitae gubernaculis assidet, illico, spasmo valido stringuntur Organa: contracta haec, humores coërcent. Sic dum efficaci stimulo venenum cruciatu torquet, corrodit, dilacerat principes corporis partes, vitales etiam suffocantur undae. Acre hoc insuetum ad intima corporis perveniens, Foculum bucca excitat in humoribus ad calorem sponte pronis, mox accendit illos, sic totus sanguis veneno exardet. Calor namque hic consumens, brevi densans fluida, semper se habet ut increscens causa: multiplicatur autem in ratione contractionis, renixus et attritus vasorum in sanguinem, et in ratione velocitatis et densitatis pulsi sanguinis in vasa excipientia. Exinde mordax Praecordiorum et major Totius ignis. At non tantum! Modo solitarium virus erat, jam immensum factum est! Mare duplex, Rubrum scilicet et Album Mycroscomi, utriusque Portus,

Sinus omnes, dubii sunt salutis; volvunt quasi flammarum globulos; veneno fiunt affines. Quodlibet enim fluidi elementum, quaelibet unda desiit in venenum turpiter atrum:, sic adulterata fluida, similiter ac Aquae stygiae, quas tangunt partes, gangraenosa vi destruunt.

214.

Tritum venenorum iter vidimus, deleterium suum transferunt, instillant, aëris auxilio, Naribus, Ori, Stomacho et cunctis corporum porulis; irrepunt igitur in omnes corporis plagas, intus namque et extus totum permeabile corpus: sed inspiratio et deglutitio publicae venenorum viae sunt, et consequenter primum et praecipuum Tragediae Theatrum. Et vero in nulla alia corporis plaga, Nervi manifestiores sunt, et magis tecto nudati.

215.

Solemnia venenorum phoenomena quibus tactae partes conflictantur, pro locorum diversitate, pro varia partium natura, teneritate, Erethismo, et dignitatis gradu, alia atque alia inducunt symptomata plus minusve ominosa, et sic ordinantur: Acria omnia ad cutim delata, applicata, horrorem, pruritum, dolorem, obstructiones, tumores, erosiones circa subcutaneos praesertim folles, efficiunt. Si per nares pervenit Virus, Myasma, Contagium

gium; praeter modo dicta, Sternutamentum adhuc movet, evocat; facit Coephalalgiam, Vertigines, Soporem, Aphoniam, titubantem Visum, Surditatem et quandoque Apoplexiam. Si per Pulmones, nervis, membranisque pneumonicis altius insidens, in promptu sunt Tussis ferina, Respiratio difficilis summe anxia, Pleuritides et Peripneumoniae suffocativae. Si Diaphragma impetit lues, adsunt brevi enormes Praecordiorum Anxietates; Singultus, Asthma, cum violenta diaphragmatis ad superiora retractione, cum strangulationis et soffocationis metu. Si Cordis nervos et Arteriarum compagines impetit ut solito, Arx mycroscomi occupatur, sic omnes corporis Provinciae exaniniuntur. Exinde tremores, palpitationes, animi deliquia, syncope, pulsus contractus, convulsivus, celer, deficiens, uno verbo, virium eversiones et plenaria prostratio. Insinuans se Oesophagi, Ventriculi et Intestinorum staminibus nervosis, exoriuntur Cardialgiae, morsus stomachi, nausea, vomitus horrendus, inflammationes cum ardore circa scrobiculum cordis, cum interno et externo extremorum frigore. Intestina totumque abdomen atrocissimis torminibus excruciantur, convelluntur, inflammantur: vel pertinaciter constringitur alvus cum tenesmo, vel dejectiones sunt enormes. Mucus intestinorum eviscerätur, ab-

 ripitur

ripitur cum dysenteria cruenta. Si virus ductus biliarios permeat, effusiones bilis in sanguinem, Icteros, sudorem frigidum, horripilationes suscitat. Meatus urinarios attentans tandem, acrimoniam, dysuriam, urinae suppressionem accersit. Has vehementes partium stricturas ingens et proportionata fibrarum et organorum laxitas, atonia, resolutio, sequitur. Flatus prius compressi, hac laxitate, sui juris facti, Volumen Organorum resolutorum mirifice expandunt; totum corpus maculis rubris et plumbeis stymatibus fit obcessum; et sanguis vi spasmorum expressus et stagnans intra fibrarum interstitia, horum phoenomenorum genuina causa est.

216.

Si putridus Fomes, septica vi destruens stamina vitae, ulterius progreditur et attingit Corporis Intima, communi humorum circulo ad sanguinem delatus, cum humoribus oberrans, virulentiam suam dispergit ubique, et illico quasi aurae infensissimae afflatu omnia perturbantur. Hic namque, efficacius quam illic, explicatur virus ferocitas, infinite multiplicatur, simili labe afficit humores, simili lege agit, immutat, depravat omnia. Sanguis stimulorum copia gravatus, alieno veneno foetus, ebullit, si non fermentat ut mustum in dolio.

Sanguis

Sanguis ebulliens acer et fervidus, mox impetu facto, tumultuarie petit omnes corporis plagas: accensi spiritus in distractiones et furias agunt. Exinde capitis et totius corporis ardor, dolor acutissimus; sitis urens, inextinguibilis; susurri, bombi, strepitus; inexplicabilis conturbatio, truculentae rerum Imagines, terror, furor, delirium, vigiliae etc. et si aliquid de lege derrogant quaedam putridarum species ut v. g. in Synoche putrida perfecte continua, continente sub se pestem, febres ardentes et malignas quae statim ab initio vires prosternunt; tabum hoc concoeptum velat sua vitia, allicit ut perdat! Quamvis enim lente phlogisticum et satis blande sua stadia percurrere videatur, assiduo tamen et sensim, vires suas exerit, spiritus primum animales, mox et ipsum sanguinem et humores absorbendo, afficiendo labe simili. Et vero si delirium aegrotantem non vexat, premit eum somnus gravis; capitis dolor acerbissimus angit; anxietas cordis magna, pulsus debilis est, parvus ac creber; saepius quoque inaequalis persentitur. In hoc morbo desunt quidem phraeniticae vires et jactationes corporis vehementes; sed convulsivi tendinum subsultus, membrorum contractiones, visus turbatus, molestans nausea, inappetentia, carnium horror, mordax calor consumens, non

a motu ſed materia, ſingultus, abſoluta virium proſtratio, longe funeſtiones ominis ſunt. Non enim Fulguratio pertimiſcenda, bene vero Tonitrus absque praecurſore formidandus!

217.

Omnibus igitur modis malitiam ſuam venenum complet: ſi acidum ſit, lentorem et immeabilitatem facit, concreſcitque humores in materiam ſciſſilem nulla arte, ut aqua, oleo, ſalino menſtruo, ſolubilem: ſi alkalinum, ſanguinem in pus convertit ſi benignius, ut in quibusdam variolarum ſpeciebus, ubi lente ad modum phlogiſticum; in gangraenam ſi malignius, ut in febribus anomalibus mali moris; in Ichorem ſi peſſimum, ut ſit in peſte. Nota corporum fermentatio, ſententiam noſtram omnibus ſuis partibus et numeris explicabit.

218.

In liquidis et mucidis corporibus, multis haeterrogenis, motuque inteſtino donatis et praeditis, Ignea materies abundat, quae cito novum et majorem fermentationis motum excitat. Concitatiori hoc motu, exagitata fluidorum elementa rimantia exitum, partibus terreſtribus, haeterrogeneisque dictis occurrentia, tumefaciunt et rarefaciunt materiam. Fluidi moleculae, et extremi ſalium aculei calore foeti, jam erumpentes, ſuis liberati involucris, uberi-

uberius penetrant; ſic indeſinenter rariores fiunt ac ſubtiliores, ſicque magis ac magis volatiliſantur. Non quieſcet autem inteſtina haec actio, et conquaſſatio, quin craſſiores liquidi partes ſummum tenuitatis gradum attingant aut e liquoris ſinu removeantur. Non quieſcet, antequam ſales, ſulphura e terreis partibus liberata, exacte mixta et ſubacta fuerint. Exinde odores et ſapores diverſi, nova producta quae prius in rerum natura non exiſtebant talia. In hac namque divulſione et exſolutione ſic tenuantur, exacuuntur et combinantur fluidi principia, ut ex toto diverſa fiat materia ſuperſtes.

219.

Et quidni ſimiliter efferveſceret ſanguis? abſque fermento haeterrogeneo motum aut virulentiam diſpergenti, viginti et quatuor horae aucti caloris faciunt ſales acres alkalinos; Nativus ſal ſanguinis neuter erat, innocuus, jam longe fixior evadit: ex blanda, acris materia; ex ſemi cocta, volatilis; ex muriatica, acida. Similiter Olea adeo naturaliter fixa, volatilia fiunt, attenuata, rancida, ſubputrida. In hoc ultimo ſtatu, partes quas tangunt, inflammant, gangraenoſa vi deſtruunt. Ergo nativus calor noſter et corporis noſtri natura ſunt prorſus ſalium nutrices et genitri-

ces. Evidenter rem probant humores excrementitii, ſudor, faeces, urina etc. Sic ventriculus maxime omnium, acidos et ponticos humores continet ac fovet. Alunt inteſtina humores ad putredinem pronos. Indolis alkalinae et ſulphureae bilis eſt, licet terram fermentet alias, lapidesque rodat adinſtar Aquae Stygiae. Serum ſanguinis habet, et manifeſtam ad ſenſum praebet acrimoniam medii generis, ſali ammoniaco aemulam. Quodlibet igitur ſal et virus omne, inveniunt ubique ſalia hommogenea, quibus aſſocientur, vel quibus cum fermentent et pugnent, ſi oppoſita ſalis aut virus natura in mutuos amplexus coire repugnat.

220.

Et vero variolae inſitivae palam faciunt hanc fermentationis Analogiam: ut ea, excitari poſſunt et voluntario concipi; ſimili lege agunt in aptis, obnoxiis, ſive comparatis materiebus, accelerato caloris gradu, vel ſimplici additione parcioris portiunculae fermenti. Hic tamen obſervandum eſt, quod vina quaedam, certa venena, peculiaresque humores, citius vel ocyus motum hunc iniant, excitent, vel ſubiant, prout plus minusve favet praecox, ſubtilis, fugax et penetrans principiorum Indoles, et vice verſa. Sic lentiores ſunt variolae Sinenſium aut Turcarum more inoculatae vel applicatae. Sanguis

in

in illis, ut mustum, lentius et quasi tacite agitatur et commovetur, sed ebullit tandem, et post octo vel novem dies tenuior pars ejus attenuata, stygmata pro more facit. Serum dein accedens cum sanguine, pustulas auget, donec purulenta materies, bonis vitae viribus, tertia vel quarta ab eruptione die locum occupet, secum miscendo, vel ad lateralia vasa cogendo, applicando, vel se cum eliminando turbulentum quod aderat fermentum. Hoc naturae mechanismo, papulae, pustulae, crustae variolosae, sunt quasi veri tartari species dissociatae, abstractae, versus corporis perypheriam transpositae. Sanguis igitur haud dissimili modo depuratur quo vinum: eadem namque lege, qua in dolii latera tartarum adhaerescit, haeterrogenae sanguinis partes ad cutem applicantur. Ast non tantum motum eundem, similemque depurationem proferrunt variolae; ulterius adhuc propagatur similitudinis ratio: pustulae enim, ut salia vinosa, cutem integram, panniculum adiposum, imo et organa, quandoque corrodere et destruere valent.

221.

De una re solum diffident ebullitionis et fermentationis motus utriusque: peracta Musti fermentatione ex toto diversa est materia superstes, novaque offert producta, quae prius non

existe

existebant: Actuosum autem principium nostrum motiones habet, quibus periclitanti naturae subsidium ferri possit: hinc humana ebullitio nihil aliud est, quam naturae conamen, et juxta Hippocratem, Naturae morborum medicae quod vitae infestum est, foras corpore pellunt. Per hanc igitur exterminationem, Unio et contactus principiorum sanguinis non omnino exsolvuntur, non funditus, ut in musto, evertuntur. Excubias agit sollicita Natura, impedit fidelis ejus custodia ne penetrent et admittantur ubique Haeterrogenea venenosa; Myasmatibus sic responsat, neque semper succumbit. Debiliora namque vasa, stamina vitae, quantum fieri potest, benigna tutatur, et venenum agit venis antequam sanguinis principia ex toto fiant veneno affinia. Hoc modo saepius exsolvitur Aes alienum, satisfacit illi Natura per simplicem principiorum turbationem vel transpositionem, longe, effectibus dissimilem ab ea quae observatur in Musto. Diaeta namque congrua, aptis remediis, vel solo Naturae beneficio, ad ordinem reducitur omne. Hinc, dum tutus est a periculis sanguis, brevi ad se redeunt, praesto sunt Observatori principia, quae adfuerant prius.

222.

Ast non exclusive in Variolis et Morbilis, bonis vitae viribus, seu naturae providae legibus

ac

ac beneficio, arcetur et premitur lues: activa haec actio in Illibata ſanitate ſentitur, ut percipitur in omnibus febribus et morbis: ubivis namque et indeſinenter conatus neceſſarios fine ſalutares, ſuperſtiti potentiae motrici proportionales, determinat Natura et exequitur, ſive conſentiat, ſive recuſet Voluntas: mirifica ejus Attentio, ingenita ſibi efficacia, modo ſibi proprio, juxta organorum diverſorum fabricam et uſum, tabi interni correctionem mollitur, vel ſaltem ejectionem ejus, ſi impar ſit deſtructioni totali: actiones liberae injurias externas nec prudentius, nec efficacius repellunt. Ubi enim quidpiam Ignotum corporis alienum ejus penetralia ſubit, quid fit? quaſi manifeſta Conjuratio! Impetu repentino, quaſi Inſtinctu, minima motus elementa incaleſcunt, in omni dimenſione fiunt expanſiora ut hoſtem cogant, et irretiant. Nervi ſe intendunt, venae turgent, arteriae pulſant; pulſus crebrior eſt in ictu, expanſior in dilatatione; ſic febris, fine ſalutaris, dat ſignum pugnae et in hoſtem currit; ſic omnibus organis expugnat Natura, et Torrens eſt circulatio. Sed adhuc ſine miſſione arietat: in hoc enim ſtadio, morbus crudus, integer eſt, ſic deſpumatio impoſſibilis, curatio nulla, et conſequenter incerti certaminis exitus! Ne deſperemus tamen! magnum quidem eſt vitae diſcrimen, ſed mox

ſpes

spes anxiis mentibus reducet. Quarto vel quinto morbi die, unde quaque agressum virus, attentatum, sensim de impetu suo demittit. Remissionem hanc in sinum suum vertit Natura; Organa a labore reclinata permeabiliora fiunt, et venenum coactum fugit per Methastasim versus corporis peripheriam.

223.

Critica haec materia haud ad cutem duntaxat, sed ad glandulas salivales applicat sese, et ipso humore salivali diluta ore excernitur. Exinde Pthyalismus in variolis, lue venerea etc. si per liquorum aut salium derivationes in partibus idoneis, debito ordine, tempore opportuno factas, Natura perficit opus, humor a reliquibus separatus ex alto corpore in cutem emergens, confertim erumpit et varias, ut Protheus, Formas induit: hic, ut Ros, Mador, aut transpiratio, liberius manat. Illic, pruritu molesto, aspredine quadam, papulis, efflorescentiis, suum cuti Simbolum confert. Hic quasi pustularum agmen totum obsidet corpus. Interdum petechiae, lenticulares, scarlatinae, miliaria, erysipelata, furunculi enormes, vesiculae Ichoris plenae cutem deturpant; Carbones et bubones alias qui, elementalis ignis effectus producunt, carnesque ad ossa usque comburunt. Haec autem Exanthemata crebriora sunt, latiora,

latiora, plus minusve interſperſa, uniformia, purpurea, livida, funeſtioris vel benignioris Ominis, prout ocultus aëris ſtatus, anni tempeſtas, ſexus, temperamentum, aetas, et vires aegrotantis; pro ut, inquam, Medici ſagacitas, regimen et auxilia, vel morbum arcere valent, vel conjurant contra ſalutem.

224.

Hic artis Religio multiplices jubet conſiderationes momento graviſſinas: 1. Deſcripta modo exanthemata malignitatem non ſemper, melius dicam raro vaticinantur. Hac vmbra, veluti Clypeo, ſe involvunt Medicaſtri et Pſeudomedici; ignes ignibus addunt, et malignitatem arcere cupientes, efficaciter ingenerant illam. Non igitur immerito, non injuria acerrime invectus eſt *Sydenham*, quem nominaſſe ſat eſt, in Illos, qui ad quosvis morbos graviores, praeſertimque cutaneos, Idiotarum ſpherulam excedentes, malignitatem extendunt: plures Mortalium malo hoc intellectu, quam pulvere pyrio, interimi ratus; ſaepiſſime contra, Cutanei morbi inter bonas, criticas evacuationes annumerari debent. 2. Omnia fere exanthemata eamdem gerunt Symptomatum ſimilitudinem, eodem mechaniſmo, ſimili lege fiunt et agunt. Ergo origine et natura vix multum differunt, ſed vario potius modo quo cutim obſident, detur-

deturpant, varia, qua ſanguinem mutant ratione. Locus igitur, figura, color, conſiſtentia, conjunctio, miſcela, proportio, varii gradus, exanthematum omnium genera et diſcrimina componunt. Sic conſequenter vix differre debet quae exhibenda cura. 3. His in morbis rara quidem, ſed mira quandoque ars praeſtat; et mirabiliter damnum affert: hic praeſertim ſumma cautione opus eſt. Hic ſpecialiter Medico attendendum ut vis vitae in juſto moderamine perſeveret aſſiduo, vt nempe nec exorbitet, nec torpeat nimis; importuna feſtinatio lethalis, facinoroſa eſt! Ubi virus ad cutim vitae viribus depoſitum, iisdem denuo turbatis, obrutis, fateſcentibus, citiſſime reſorbetur, reliquum ſanguinem peſſumdat, ad vitalia loca iterum defertur; arcem Mycroſcomi deſtruit, vitam praeſcindit. Similiter regimen calidum, Incendiarium, ut et Cardiaca ſtimulantia, Naturae ſcopum non attingunt, alienant prorſus, venenoſa ſunt. 4. Medicus civis duplex, naturae Miniſter et Interpres, ſemper hominum utilitati quantum fieri poteſt, conſulere debet, ſic obeſſe numquam. Sit igitur in agendo ſapiens, ſi non certus, ſit in non agendo prudens, cunctetur, proficiet. Sin minus, neglecta hac peritia, morbos debellare ſuſcipiet armis quorum virtus et efficacia prius ipſi perſpectae non fuerunt; Is

ſane

ſane Toxicum pro Pharmaco aegris ſuis praebebit. Probe ſciat igitur Medicus fidei conſtans, quae idonea morbis, qua virtute polleant, quibus indigeant praeparationibus, quando uſurpanda; quando inutilia et noxia ſint; reſciat quibus in morbis, qua doſi, quibusve cautionibus adminiſtranda. Sic effectibus cauſas adjungendo; ſagaciter comparando, legitima a ſpuriis diſcernendo; dubia rejiciendo; ſeligendo uſu comprobata fide digna; Diis par evadet Artifex. Aſt proh dolor! Pauci ſunt admodum quibus aſpiret Apollo; hinc pauciſſimi numero Deorum aſcribendi. 5. Saepe morbus natus indicat nobis auxilii naturam. Hoc manifeſtum eſt in morbis bene-multis; ac praeſertim in putridis: horror juſculi; inſuperabile carnis faſtidium; urens omnium acidorum concupiſcentia aperte Medicum monent; ſeſpitantem firmant, arcendamque denuntiant putredinem: in morbis exanthematicis; virus per locum minus reſiſtentem ſemper erumpens, clinice nos docet quotidie materiem in humoribus alienam, eo ſemper locorum allici, quo natura aut ejus miniſter reſiſtentiam minuerit. Hoc fundamento nititur tota rationalis doctrina de revulſione univerſali. Ergo ex ipſomet naturae medicatricis ſinu praecepta depromenda ſunt; haec eſt pixis nautica quae in immenſo et procelloſo ae-

quore dubium ſiſtit iter ; haec eſt fax quae ſpiſſiſſimas tenebras exſolvit.

225.

Si natura, ut manifeſtum, oſtendit ſe nobis medullitus, quare ignoramus eam aberrando conjectura ? ecce : nimis oſcitanter exploramus, intervallo magno naturam ſequimur, ſic parum illi, nimium autem remediis credimus. Et vero, quae Benigna niſibus externis indeſinenter proſpicit nobis, quae porrigit manus auxiliatrices velit aut nolit puer in pericula cadens, quae in ambuſtione improviſa partem igne tactam retrahit, quae nictationibus palpebrarum, jujibusque lacrimarum rivulis oculos tutatur ut illapſum pulverem eluat, quae imperat ſcalptum ; Alma haec eadem vigilias et excubias agit interne, noxia corrigit, eliminat modo ſibi proprio; tuſſes, vomitus, excretiones, ſalutem, et ne nimius ſim, Haec facit omnia. Canis morbidus ejus impulſu gramen devorat absque errore in delectu ; eodem inſtinctu Ibis rauſtro praegrandi dat aquam in alvum ; eadem imperante. Hyppocampus turgentes venas incidit et arundine, ut ſcalpello ſanatur. Intruſo intra fauces oſſe, vorax Lupus caput inclinat ut proprio pondere os elabatur. quis amabo, hic naturae mechanicam inficiet ! ſed incarceratur obex, quid faciet Cartheſii Machina ?

china? ſimulabit hominem. Caput dein ſuccutiet, nauſeabit, in praeſto tuſſis erit. Aſt non tantum? mox Pes Manûs officium geret, hunc adiget intra fauces ut ſe a ſtrangulatu liberet. In hoc arcendo periculo, fortuitane nervorum preſſio? an coeca ſympathia incuſanda cum datur organorum, motuum, et determinationum electus ſub ſenſum cadens? Totum hoc, lege cedro digna, complexus eſt legislator Hippocrates: Natura, inquit, licet inerudita, quaecumque opus ſunt, efficit, et quo natura vergit, eo ducendum eſt per loca convenientiora. Tutior via me fugit. Procul igitur Aſclepiades et brutae ejus Aſſeclae qui naturam pro hominum ſalute quidpiam moliri negant: procul monſtra quae non accipiunt, quae abdicant et multant Parentem.

Characteriſtica Venenorum Phoenomena.

226.

VENENORUM Tyrannides et Convitia vehementer protulimus in medium; fremuerunt nervi noſtri ab organo ad principium usque ſenſuum; vitales undae faciem maris procelloſi repraeſentarunt, ſic Penates corporis raptos, ſus deque inverſos, oculis ſubjecimus. Ergo Tragicum ſatis ſpirarunt pigmenta noſtra et mox deſcendet velum.

 Sed

Sed antequam recipiamus animos, vultusque in hillaritatem relaxemus, adhuc utile duco post scenium Actoribus detrahere larvas. Licet enim infamata huc usque venena simili aut proxima malitia, concentum, ordinem, homotoniam, sensuum, motuum, et functionum immutent et violent; virus tamen omne, fluidum quodlibet alienum, turbulentum, haeterrogeneum, modo stupendo sibi proprio, juxta organorum fabricam et dignitatem, sigillum suum corporibus imprimit, et quasi propriam consignat ferocitatem in certas quas attentat partes nervoso-membraneas. Hoc enim habet regnum naturae, ut etiam ex minimo, maximi et stupendi producantur effectus.

227.

Et quidem praeter solemnia venenorum phoenomena, notas adhuc peculiares, habent, et praebent quae sequuntur. Ignes subterranei emittunt fuligines quae gingivas ulcerant et paralysim afferunt. Vesuvii sulphurosi elaterem aëris frangentes ut carbonum vapor, similiter suffocant. Aër sulphure salino foetus, enormes alvi fluxus, dyssenterias, pestem accersit; et si acidis particulis impraegnetur, in promtu sunt peripneumoniae, asthmata, respiratio molestissima. Omne venenum crassum, acidum, ex humoribus difficillime expurgatur et fere semper furun-

furunculos, thumores in glandulis et ſuppurationes relinquit.

228.

Lues voluptatis ſocia, vitae fontes, canalium glomera, glandulas, ſemper et conſtanter obſidet, et qua parte contrahitur, ea, primo ſe manifeſtare ſolet. Hinc Proſtatae, Teſtes, Inguinales et uterinae glandulae, inflammatorie tument, plorant impure, exulcerantur, communicato contagio. Illinc lacticuloſus luem cum lacte reſorbens, habet maxillares et parotides glandulas, linguam, intus genarum, guttur, vi morbi repleta. Contra vero inficiuntur papillae, bubonoſae ſunt axillares Nutricis, virus, pro gratia lacticuloſi, in ſinum ſuum cooptantis. Sic veneno turget Mammarum ubertas.

229.

Pestis et putridorum effectus, ut plurimum, ad ſummum ventriculi orificium exeruntur. Haec dira populornm vaſtatrix ignis elementalis extrinſecus appoſiti potentiam habet; in ea, Antraxes in ſtomacho, Bubones, Carbones poſt aurem, in collo, mento, inguinibus, ſub axillis erumpunt; et tantus eſt in hoc morbo calor ut nec mirari ſubiat ſi interdum peſte mortui, altero poſt obitum die caleant adhuc.

230.

Rabies parum differt ab ira, haec brevis tantum furor, illa autem extrema et continua irrascentia est. Sed praeter furorem comitem, ardor obvia quaequae mordendi invitus, horripilatio, tremor convulsivus ad conspectum aquae et liquorum; aversatio pellucidorum corporum instar speculi reflectentium, colorem, mores et ingenium hydrophobiae fideliter satis exprimunt.

231.

Saeps africa teterrima Plinii si vulnusculum mordendo inflixerit, vomitum et alvi fluxum excitat; totus quantus panniculus adiposus gangraenescit et fragmenta de corpore excidunt. Phoenomenon hoc saepius observatur in peste, lue venerea, variolis et morbillis mali moris. In his, dictus modo panniculus consumitur, ulcera maligna saepe totum infestant corpus et depascuntur.

232.

Tarentulae et Scorpiones Apuli saltandi et choreas agendi desiderium excitant. (*) Tacti ab

(*) Tous ces animaux, dit *Boërrhave*, sont remplis d'un poison surprenant qui irrité par la colere et repandu dans le sang d'un autre animal, produit certains et divers effets, suivant la difference de l'animal dont provient le poison: l'Aspic produit le someil, le Cerastes occasione le Tetanos, le Crapaud des tumeurs, qui font

ab eis certos abhorrent colores, a certis quoque recreantur. (**) Cantharides inflammant, vesicatoriae sunt; harum sal penetrans et causticum absumit carnes, ductus urinarios maxime petit et spasmis corripere solet. Unde ardor, difficultas urinae et mixtio cruenta. Mitula devorata, haerens in ventriculo, anxietates facit praecordia circum, et tota fere cutis cum pruritu summo, exanthematibus obsidetur. Vetusta Erucarum exuvia faciem, oculos, palpebras, inflammant cum pruritu magno molestissimisque exanthematibus. Hoc expertus est celeberrimus observator Reaumur cum harum nidos tractabat.

233.

Bella Dona Tournefortii sanguinem ex integro purulentum facit: hic experientia loquitur.

presque crever l'homme et lui causent des convulsions; la Vipere, l'Ictere; le petit serpent, la gangrene; le Scorpion, la fievre aiguë et les convulsions; le lievre marin, la consomption du poumon; la Pastenaque infecte le foye; la Dipsade, l'Oesophage, et cause une toux perpetuelle.

(**) Les Cantharides empoisonnent les passages de l'urine, dans quelque endroit qu'on les applique. L'usage interne en est donc tres dangereux et peut produire la mort. On dit qu'elles ont occasionné la perte d'un Heros que l'Europe admira. S'il vecut assés pour la gloire, il mourut trop tôt pour la France qui le pleure encore. Que cet exemple, qui n'est pas l'unique, fasse trembler ceux qui s'en servent pour éperroner la nature.

Modum igitur elogio ponant Fautores ejus in cancro. Ranunculus hortenſis flore pleno miniato, omnis odoris expers, virulenta effluvia emittit. Naribus admota, anguſtias, anxietates, dolores capitis, vomitus, acerbiſſima dat et praebet ſymptomata. Plures hujus familiae veſicatoriae ſunt et convellunt ſimiliter ac hellebori ſpecies. Cicuta vera, Napellus ſeu Aconitum coeruleum, (*) Solanum furioſum, Stramonium, Hyoſciamus ac Datura dementant. Cicutae (**) radices ejusque folia commeſta dant dolorem inten-

(*) Il diſſout le ſang jusques dans les plus petites parties et il enflamme les ſolides. L'Aconit produit un ſentiment de froid repandu dans tous les membres, la ſquinancie dans le goſier, le phlegmon dans l'eſtomac, lequel ſe termine ordinairement par une gangrene funeſte. l'Anacarde, l'Anemone, l'Ache, l'Apocin, le Pied de veau, l'Aze d'Arach, l'Épurge, la Camelée, la Clématite, la Colchique, la Couronne imperiale, le Pain de pourceau, la Serpentaire, le Concombre ſauvage, la petite Éſule, l'Éuphorbe, l'Oeillet d'Inde, l'Hellebore blanc, noir, verd: les Hermodactes, la Tubereuſe, la Laureole, le Napel, la Nielle, le Laurier roſe, la Renoncule, le Ricin, la Scamonée, les graines huilenſes, devenuës a force de corruption fort acres et rances, les Thytimales, l'Ataptie ou turbith batard &c. ont des effets à peuprès ſemblables à l'aconit et deplus l'indication eſt parfaitement la même. *Boerrh.* Capit. de Antidotis.

(**) La Ciguë excite des ſpaſmes ou contractions ſi violentes que Wepſerus a vû un enfant empoiſonné, qui dans l'atrocité des douleurs rendait de l'urine en jet d'eau de cinq à ſix pieds d'élévation.

intenſiſſimum et ardorem vehementem in ventriculo. Inſuper ſpaſmos, mentis alienationem, oculorum contorſiones, ſanguinis fluxum per aures, os contractum, inanes vomendi conatus, meteoriſmum verſus ſcrobiculum cordis, et poſt mortem fluxum viridis ſpumae per os excitant. Solanum furioſum, maniacum ab effectibus ſic denominatum eſt. Solani ſomniferi baccae delirium, ſenſuum ſtuporem, et non-numquam lelhalem ſomnum inducunt. Hyoſciami radices et folia commeſta ardorem vehementem per totum corpus accendunt et mentem turbant. Narcotica (*) vaporoſa ut Opium, Mandragora, minima doſi, licet adhuc in ſtomacho integra, dolorem et ſenſum minuunt quidem, ſed ultra modum temerario exhibita, ventriculum inflammant et omnes rarefactionis terminos excedunt. Fluidum vitale dictum quod nervoſas

(*) Il eſt encore certains poiſons dont la vapeur ſuffoque en un moment, comme la vapeur du bois enflammé & ſuffoqué ſur le champ, du charbon, de la tourbe éteinte dans un lieu étroit & fermé, l'air ſoûterrain qui depuis longtems n'a pas été renouvellé, l'exhalaiſon d'un vin qui fermente, la poudre volatile d'un mauvais champignon dont j'ai éprouvé moi même le dangereux effet, la fumée du ſouphre, des metaux que l'on reſpire en devant, ces vapeurs affectent le poûmon & les nerfs, elles reſerrent les muſcles Meſochondriaques, produiſent la peripneumonie, & l'on peut à peine remedier à leurs effets.

partes alit, et ex cerebro ad eas derivatur, mox corrumpunt, alienant, donec extinguant tandem. Exinde motus privatio, abolitio sensus, stupiditas, coma somnolentum et apoplexia.

234.

Plures fungorum et Tuberorum species (*) coloris nigri, miniati, puncticulis variegati, virulentiam subtilem causticam habent. Exinde descriptae species generaliter pro maligni habentur. Ab his namque vomitus, praecordiorum oppressio, ventris tormina, diarrhaeae, animi deliquium, sudor frigidus, dysenteria, singultus et partium tremor. Ter vidi in Russia, ubi fungorum usus frequentissimus est, calamitatem atrocissimam ortam ab illis.

235.

Hyacinthus tuberosus Indicus, Jasminus, Zibetum, Ambra, spiritus nostros veluti figere videntur. Nimis mobile nervorum genus excruci-

(*) Plusieurs especes de champignons, l'Agaric, le Gui de chêne, sont doués d'un venin coagulant, qui reserre, suffoque & cause des maux dèplorables qui ne finissent souvent que par la mort. On peut ranger dans la classe de ce venin ceux qui resserrent, incrassent & obstruent, ceux qui desechent & causent une mort promte ou lente; tels sont la chaux vive, & peut-être la chaux éteinte, le plâtre, les mines de plomb, la limaille, l'écaille, la chaux, la ceruse, le minium, le verre, la litarge de plomb, la cendre d'étain brulé.

cruciant, convellunt. Magna dosi exhibita vitalitatem etiam suffocare valent.

236.

Epilepsiam inducunt Coriaria, Naptum florescens, Cannabis. (*)

237.

Aluminosa omnia, Alkool, Spiritus vini, nitri, sulphuris et vitrioli sanguinem cogunt et omnes figunt humores. Omnia namque acida solo excepto aceto, venis infusa hanc proprietatem habent, peripneumoniam et mortem facere possunt. Coclhear unum aut alterum spiritus vini rectificati Felis ori infusi, mox in ea horrendas suscitat convulsiones. Qui acida tractant, qui cerevisia, aceta, aquas fortes conficiunt, fere semper Tumidi languent.

238.

Singularia quoque phenomena a singulo metallo observantur: a mercurio salivatio; glandulas omnes, faucium interna, propria et peculiari quasi ratione afficit; salivalem laticem iis elicit cum laringis et oris interni ulceribus. A cupro vomitus; ab auripigmento et argento diarrhoea

(*) J'ai traité deux enfants attaqués de symptomes épileptiques pour avoir dormi dans un champ de navette en fleurs. L'odeur du chanvre a produit le même effet sur un de mes parents, & quoiqu'il en soit guerri, la tête lui fait mal, il a des palpitations de cœur, toutes les fois que cette odeur l'affecte.

diarrhoea colliquativa. Auripigmentum, arsenicalis familiae parens, nervis Infensissimum est; spasmos, manuum ac pedum stupores et contractiones, sudores frigidos, cordis palpitationes, animi deliquia, sitim, aestum internum, vomitiones, ventris tormina, corrosiones ac dolores immanes producit. Haec autem symptomata, ocyus vel citius, pro varia injecta dosi, donec mors subsequatur tandem.

In corporibus ex hoc veneno defunctis, gula, ventriculus, Intestina variis in locis inflammata, erosa et perforata deprehenduntur. Arsenicum vi erodente tanta pollet, ut saepe nudas fossorum manus et pedes exulceret. Valentissimum corrosivum hoc, lypothimiam, praecipitem ac summam virium dejectionem, mentis stuporem, delirium et ardorem excitat. Et huic veneno particularia, ut ventriculi non tam insignem erosionem, quam extenuationem quamdam, ita ut ejus menbranae folium papaveris crassitie vix superare pluribus in locis videantur, licet intestina tenuia erosa et perforata reperiantur. Praeter haec, circulum lividum circa os et oculos delineat, subitamque corporis intumescentiam et sphacelationem producit ut et post mortem repentinam putredinem praesertim in Virorum genitatibus. Si vero, quod raro admodum, mors derepente non subsequatur, fere semper

febris

febris hectica, tabes, menbrorum resolutio et non numquam alienatio mentis, sunt Paterni muneris successores. Sublimatum corrosivum omnia quae tangit intus dissecat. Cuprum et praesertim ejus flos aut aerugo ventriculi et intestinorum dolores et tormina magna; vomitus enormes; conatus inanes et frequentissimos dejiciendi; intestinorumque exulcerationes affert; ut et anhelitus difficultatem; spasmodicas menbrorum contractiones quas tandem consequitur mors. Plumbum (*) conjunctam habet stomachi gravitatem et cum torminibus diris invehit. Suprimit quoque alvum et urinam; menbrorum tremorem et spasmum excitat, difficilem respirationem affert donec suffocet tandem. Hoc comprobatum habent qui noxas gravissimas et saepe immedicabiles perpessi sunt a potu vinorum quorum aciditas, infando mangonio; per lythargirum immissum edulcorata fuit. (**) 239.

(*) Les préparations de plomb prises à grandes doses ont des Effets très violens, mais prises successivement, à peine peut on s'en appercevoir. C'est-ainsi que des scélerats ont pu fixer à un jour, à un an, l'effet de leur poison. Ceux qui préparent la ceruse & qui travaillent aux mines de plomb périssent presque tous dans la prémiere année. Ainsi les maladies que le plomb produit peuvent quelquefois être lentes, mais elles sont toujours très difficilles à guérir quand elles ne sont pas toujours mortelles.

(**) Il paroit délà combien la coutume des Médecins qui prescrivent l'usage interne du sel de saturne, est

239.

ANTIMONIUM lupus vorax ab effectibus sic dictum, omnia metalla, vel etiam argentum, excepto tantum auro, dissolvit ac destruit. In vitrum redactum, a gran: 12 ad 24 ingestum, vehementes et torminibus stipatas vomitiones excitat, mortemque inducere poterit si regio Epigastrica sit spasmis obnoxia. En veritates omnibus conspicuae: sed ecce phoenomena morosa et difficilia valde.

240.

VENENA quaedam Hominibus noxia et Brutis innocua aut saltem longe minus nocentia observata fuere, et vice versa. Sic mercurius sublimatus corrosivus Hominibus lethalis, canibus eadem dosi exhibitus, vomitum solum modo excitavit. E contra nux vomica canibus nocens, hominibus nullo modo extiosa creditur. Crocus metallorum oculum aut vulnus

blamable. Ce sel peut empoisonner de maniére à jetter les chiens & les chats dans des anxiétes & dans la rage, il peut même tuer. Et pourquoi d'ailleurs faire usage d'un poison quand on a tant d'autres moiens innocens de supléer au sel de saturne. Voiez §. 194. les acides sont l'antidotte du plomb. J'ai cependant vû des effets violens de l'extrait de saturne de Mr. *Goulard* quoique affoibli par beaucoup d'éau. Cet extrait est un composé de litharge boüillie dans le vinaigre, & la doze qui produisit l'accident dont je parle n'étoit que de trois gros sur deux livres d'Eau.

nus non laedit sed ventriculum. Et quod Hominibus Emeticum potentissimum est, equis tantum sudores movet, aut saltem leviter purgantur et sanantur ab illo. Amygdalae amarae quae nihil nobis damni afferre videntur, brutis prorsus infestae sunt. In Volucribus, Ciconiis Columbis, Psitacis, Sciuro similiter ac in Felibus et Canibus, vehementes excitant convulsiones quae tandem in mortem desinunt. Cocula pisces enecant, aliis non nocent. Infusum jalappii satis blandum medicamentum purgans, canibus exhibitum ventriculi convulsionem et inflammationem infert. Bulbi coronae imperialis Hominibus pariter ac Brutis lethiferi sunt. Tabaci fumus qui deglutitus animalia solum purgat, vividissimas viperas occidit brevi. Aqua mercurii, si credere fas est, ad enecandos vermes decantata, salubris et utilis est aliis animantibus. Arsenicum et tota ejus virulenta Familia, Homines et bene multas Brutorum species occidens, lupos tantum modo purgat et reddit agillimos.

241.

Si varia fibrarum textura, organorum dignitas, sensus hebetudo vel irritabilitas, crasis, natura diversa humorum partes irrorantium; si inquam, convenientia, aptitudo vel repugnantia ad labem suscipiendam vel non;

si

si spiritus plus minusve concentrati, moleculae rariores vel compactiores, spiculorum salinorum forma et proportio, venenorum efficacitatem et affectationem in certas tantum corporis partes, peculiaresque humores, nec enodant nec palam faciunt; altior scientia me fugit. Vis namque, actio et penetrabilitas corporum, semper est relativa ad substantias motum et impetum sustinentes. En igitur quantum Humana Mens capere potest, utriusque partis Postulata. Sin minus, victa et confusa Ratio agat silentium de re. Quamvis enim aetatis millia septem secum ferrat Mundus gravis annis, Doctrina et Inventis adhuc puber est; nundum manifesto tenuit in arte Naturam. Haec tacitum habet arcanum quod vix intercipietur.

Sananda lues.

242.

Fere immensus est hominum societatem componentium Numerus: hanc inter multitudinem pauci admodum nati sunt ad amicitiam Idonei. Inter Idoneos quot credis Orestes qui Nos in occulis ferant et gestent in sinu? quot, inquam, numeras qui arduis in rebus, in vitae periculis, infelicem complectantur Amicum! Taces? silentium quasi numerum nullum dicit.

Si

Si igitur Ales fit amicus qui medullitus nos amet; demens procul dubio eſt, qui ex intimis ſuis credit omnes et ſibi ad familiaritatem adjungit. Hic, mutato nomine, de medicamentis et ſpecificis allegoria narratur. Et vero ſi Medicina ita eſt, ut Amicitia, nihil certe facilius adoptando et imprudenter ſeligendo quam allucinari; nihil quoque in amba periculoſius, quam error. Ambarum igitur ſucceſſus ut plerumque ſibi arrogat fors fortuna, ſed per me tamen licet; illos magis adhuc in prudentia poſitos credo.

Ne igitur peccemus in rem ut et in nos ſimul, nusquam adoptandum puto quodcumque ſors nobis offert; Gener namque erroris erit, qui nubit cum praejudicio. Hic conſequenter prima lex amicitiae nobis inſequenda et obſervanda, adoptio ſcilicet, quantum fieri poteſt, a cognitione certa. Pauca ſunt antidota, quae corpus in ſtatu naturali conſervare valent, quae illi ſpecialem quamdam vim imprimant, qua morbus, lues, venenum, vel prorſus deſtruantur, vel evadant irrita. In tenebris adhuc latet ſpecificum, infallibile remedium, vel ſaltem me fugit: millena quidem noſco ſimplicia et compoſita, quae magnificis titulis circumferuntur, et quid inde? Juvenis adhuc, mirabiles horum proprietates audiens et legens, admiratione et confidencia plenus, vix credidi morituros homi-

nes: deinde haec ipſa uſurpando medicamina, mortalem me et alios didiſci? Haec ipſa non modo ſpem fallere, ſed et nocere ſaepius, imo faces addere furenti intra praecordia veneno, omnes ſane ut ego, multis rationibus et obſervatis experti ſunt. Nimium igitur ne crede colori? Haec reflexio haud minimum eſt operis momentum.

243.

Omnia remedia, quae ſale acri cauſtico, quae oleo aromatico eſſentiali turgent, urentem in corpore calorem accendunt: in ſolidis criſpationes (Sect. 76) erethyſmos; in fluidis effervefcentias et tumultus excitant. Ergo, cane et angue pejora ſunt putridis in morbis, in peſtem namque nos precipitant. In Chemia ſulphur quodcumque ab alkalino ſale diſſolvitur: Similiter agit ſal hoc acre in lympham ſanguinis eamque in putridum tabum diſſolvit. Ratio attendenti patet: ſphaericae et echinatae alkalinorum moleculae intra floccos lymphae filamentoſos moveri nequeunt, quin quaedam ex filis ſecum abripiant et flocculos paulatim dividant ac diſcerpant, donec tandem ex integro diſſolvantur. Sed quî fit ut genuinum ſulphuris menſtruum, aut diſſolutor, lympham putrefaciat, dum ex adverſo fibroſam et ſulphuream ſanguinis partem denſat et cogit? Etenim licet in febre ſummopere

mopere putrida non reperiatur ſanguis inſpiſſatus ſed penitus diſſolutus, hoc fit a poſteriori et integra haec ſolutio ultimus veneni effectus eſt: Dictum phoenomenon Aenigma videtur et Aenigma manebit.

244.

Remedia acida, acidorum mineralium, foſſilium et vegetabilium Cognata (Sect. 179. 180. 181.) denſas et aculeatas moleculas habent, quae intra ſulphurum ramenta intruſae, eorum texturam denſiorem et firmiorem efficiunt, hocque pacto ſanguinem reddunt immeabilem. (*)

245.

Acida vegetabilia oppoſitum habent effectum, humores namque dividunt ac reſolvunt. Sed potentia urenti ſeptica orbantur. Horum uſus diu protractus macie corpus tenuat et extenuat tandem. (**)

(*) Le Célébre *Baron* obſerve Judicieuſement dans ſes nottes ſur Lémery, que la coagulation produitte par les acides ne ſuit pas toujours cette régle conſtante; elle eſt quelque fois l'effet d'une diſſolution parfaitte opérée par ces mêmes acides. Tous les ſels neutres qui criſtaliſent ſont autant de preuves de cette vérité, car ils ne doivent leur forme concréte qu'à l'exacte diſſolution de leur bâze par un acide, & à l'union intime que cette bâze & cet acide ont contracté l'un avec l'autre.

(**) Tout acide, dit le même autheur, s'inſinüe pour diſſoudre, mais comme ſa figure eſt peu mobile, en affectant

246.

Venena, ut vidimus diversimode agunt: alia in primis viis vi nota erodente, mechanica; alia in spiritus operantur; alia in pulmones etc. Remedia igitur domando veneno apta et idonea, si fieri potest, per eamdem viam applicare semper opor-

affectant des parties visqueuses et ambarrassantes, il n'a pas le mouvement libre pour y produire des secousses & pour séparer ces parties. Ainsi l'acide du vinaigre ne fait que s'introduire dans les pores des concombres & s'y coagule. Cette coagulation les conserve. Les pointes acides bouchent les pores & servent comme autant de petites chevilles pour en tenir les parties fermes & en repos. Mais si elles s'attachent à des parties mobiles, elles les dissolvent. C'est evidemment de cet effet que les acides végétaux tiennent la propriété de faire maigrir les personnes qui en font un trop grand usage. Aussi le vinaigre selon *Boërrhave* est un très bon fondant qui bien loin de coaguler le sang & les humeurs les divise & les aténüe de plus en plus, par la propriété qu'il a de se distribuer par tout & de pénétrer les extrémités les plus fines de tous les vaisseaux même les plus reculés. Ce sentiment est appuié sur une experience incontestable. Que l'on verse du vinaigre chaud sur du sang, il l'empesche non seulement de se figer, mais encore il le rend plus fluide. En conséquence il recommande le plus fort vinaigre dans toutes les maladies aigües & inflammatoires pour détruire les coagulations que l'ouverture des cadavres a fait connoittre être la cause ordinaire de ces maladies. Il assure encor que le vinaigre est un remede souverain dont il a vû de très bons effets dans les maladies convulsives, hypocondriaques & hystériques.

oportet, perquam venena ſubierunt. Si halitu ſuo cerebrum occupaverint, antidotus naribus admovendus. Si halitus acidus quicumque inſpiratus conſtrictis pulmonibus quaſi ſuffocaret, ad manus eſt ſpiritus ſalis ammoniaci; ſi contra putridus vapor caput feriat, ſpiritus acidi, aceta mordaciſſima naribus admoveantur. Si labem per os adſumpſerit aeger, etiam alexipharmacum deglutiat. Nihil enim aut ſaltem parum faciunt remedia, quae per os aſſumuntur, dum cerebrum primario fuit affectum, nimis enim diu morarentur in corpore prius, quam in locum deſtinatum venirent.

247.

Ex praelibatis conſtanti experientiae conſonis propriam et peculiarem animadverſionem merentur et deſiderant ſingula venenorum et epidemiarum genera. In omnibus igitur perpetua et unica Regula ſeu Ratio medendi proponi nequit indiſcriminatim. Et verro in pluribus epidemiarum ſpeciebus perſaepe venae ſectio, emetica et purgantia, ſudorifera, mire proſunt,

 ſae-

riques. D'après ces obſervations déciſives, j'ay ſouvent preſcrit l'uſage du vinaigre dans ma pratique & ſouvent le ſuccès à confirmé l'Indication. J'ay auſſi éprouvé que le vinaigre affoibli par un peu d'eau, bu tiéde, eſt de tous les ſudorifiques connus le moins Incendiaire, le plus ſur parconſéquent & celui qui produit le plus conſtamment ſon effet.

ſaepius quoque mire nocent et totam naturam turbant. Hoſtem non aufferrunt, quod ille ſubtilior ſit et altius infixus. Integro triennio dedit emeticum in certa epidemica febre et foelix fuit *Sydenhamius* Obſervatorum Princeps; pergens poſtea in eadem aut ſimili febre, infauſte necabat et idem de venae ſectione expertus eſt. Levis namque nauſea aut vomitus, os amareſcens, corruptus in eo ſapor dominans, non ſemper indicant turgentiam in acutis, turgeret enim in omni fere morbo materies, quod falſum: ſic in pluribus malignis, Camphora collapſas vires tam blande reſtaurans, et ſomnum tutius ipſo Opio adducens, irritum et etiam noſcivum obſervarunt Egregii Viri, ut nuper et ego in ſynoche putrida. Urgebat indicatio, ſed laudata et experta adeo virtus ejus alexiteria huic fuit impar. Eadem obſervavit jam Laudatus *de Haën* in ratione medendi.

248.

Hic obſervandum quod adpellatione malignitatis falſo admodum infamentur morbi, qui conſueto more ſua ſpatia decurrunt, vel qui conſuetum naturae benignioris ordinem ſequuntur. Hi bona duntaxat directione, ſua morbo ſervatur Benignitas, ſuus manet Typus. Sed ineptiori methodo in vere malignos ut plurimum convertuntur. At ubi ingens et ſubita virium con-

consternatio absque ratione vel praegressa causa ubi saeva et insolita pathemata aut longe solito graviora, numerosioraque aegros excruciant vel obruunt, ubi pustulae atrae cum dyssenteria, bubones in axillis, pone aures, in inguinibus morbum comitantur; ibidem malignitatem egregie prudens vaticinaberis.

249.

QUANDO haeret aliquid circa praecordia quod venenata quasi vi omnes vires uno momento prosternit, quam diu ibi haerebit, debilitatem summam, summumque periculum faciet; hic audax, sed cauta manu, emeticum praescripsi. Centies pro votis res successit. In simili indicatione ne dubites, praescribas quoque; desperatos apto artificio in sanitatem mutabis.

250.

UBI faciei rubores, oculorum constantiae, distentiones manuum, dentium stridores, contractiones maxillarum, pulsationes durae aut vehementes, extremorum refrigeratio cum internorum calore et suffocatione, veram indicant Plethoram; ibi moles movendorum ingens, resistentia magna, inflammatio et circulaturi suffocatio, ferunt et jubent largas venae sectiones revulsivas. Debilitas namque apparens Tyrones deludit, ut plerumque rarefactionem pro

 origine

origine habet, et haec rarefactio comprimens venosum, sanguiferum et lymphaticum genus, Spirituum interceptionem facit. Etenim sciendum in corpore nostro duos plane distinctos esse sanguinis circuitus, magnos nempe et provinciales circulos. Unum per arteriam ascendentem in partes supra cor positas, atque alterum per descendentem in subter sitas. Quo rapidius et pleniore Fluento in inferiorem provinciam sanguis irruit, eo placidius et minori rivo in oppositam superiorem influere necessum est, et vice versa.

251.

Si constet febrem mali moris esse, haec phoenomena, aut saltem horum plura, videbis: facies fere semper squalida est et sicca, pulsus exigui, inaequales, inordinati; dejectio biliosa; aridura cutis minima vasa obstructa constanter designabit; aduret sitis putridi haerentis comes individua; acris erit totius calor, non a motu quidem, sed a materia. Haec symptomata revelant medico sanguinem neque violenter effervescere neque irruere, sed potius vix satis irrigare cerebrum. In hoc casu venae sectio inutilis, imo et damnosa est, si non lethifera. Quia circulum inferiorem quo magis adauget, eodem dimenso superiorem minuit. Proindeque cerebrum sanguine et spiritibus defraudat, sic totum extenuat corpus. Spirituum namque inopia,

pia, abrupta feries, et ab invicem diftractio, urgentes vigilias, convulfiones et deliria obfcura pariunt. Ergo femper fanguini parcendum, fic que femper profcribenda venae fectio quotiescumque ab evacuatione nimia, vel a putrida humorum diffolutione, vel tandem a corrupta et haerenti ad praecordia materie, debilitas vera exoritur.

252.

Horum fymptomatum Medela haec eft: nervi roborandi, laxatumque tonum reftituendum; aperienda funt obftructa; fpirituum commeatus alliciendi; falsedo tandem et acrimonia domandae. In putridis vigorem et vitalitatem afferrunt Cardiaca frigida. Strenue militant potus acidi omnes, limonada, fpiritus vitrioli, fales fulphuris dulces etc. Aperiunt obftructa, putredinalem vergentiam obliterant, purulenta efficaciter expurgant et detergunt Nitrofa quae urinam movent et ardores compefcunt.

Terrea bilem praecipitant, fuccos acidos et ferofos abforbent; ab his effera, regurgitans et fpumefcens inibetur et refraenatur bilis. Hic experientiae et rationi confentaneum eft confilium: omnes namque fpecies decocti amari, lixivio e teftis oftrearum parato incoctae, amaritudinem deponunt et fubdulcefcunt. Si dubius quis, facili experientia edocebitur.

Emulſiones, Incraſſantia, Farinoſa, acria omnia lubricant, irretiunt, obtundunt, ſicque Spirituum irritationes ſedare valent. Ab his iners redditur acre et reconditur, ut Enſis in vagina.

